



EXAMEN  
REFUTATIONIS  
VALENTINI SMALCII

GOTHANI, Cætus Racoviensis  
Ministri Photiniani,

*Quam*  
THESIS D. ALBERTI GRAVERI  
*b. m. de Aeterna Deitate & Incarnatione*  
*Filij Dei, opposuit,*

Institutum

à

VALENTINO LEGDÆO.  
Suerinensi, S S. Theol. Licent.



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.  
E Bibliopoleo Hallervordeano.

ANNO æra Christianæ M. DC. XXI.

T. 162 (7)



EXAMEN  
RESTITUTIONIS

VALENTINI SMARCI

GOTHANI, Cuius Rectoris

Minister Phisicorum

Quartus

THEOPHILUS D. ALBERTI GRAMMARI


in hunc mundum de hunc mundum

1574

1574

VALENTINO LEGGEO

Sacrorum S. Theologicarum



1574

Typis JOACHIMI PEDANI ACADEMIAE

in hunc mundum de hunc mundum

1574





## V I R O

Magnifico, Nobilissimo & Eminentissimo,

Dn. NICOLAO à Below /

Illustrissimo & Celsissimo Principi, Dn. ADOLPHO

FRIDERICO, Duci Megapolitano &c. ab intimis  
secretissimisq; consilijs &c.

Domino, Fautori & Patrono suo reverenter & officiosè colendo.

S.

**A**Nte quinquennium, Magnifice & Nobilissi-  
me Vir, disputationem, quam D. Albertus  
Graverus, Theologiae in Academia Jenensi  
professor quondam celeberrimus, praeceptor meus ho-  
norandus, de aeterna Deitate & Incarnatione Filij  
Dei, ibidem habuerat, Valentinus Smalcus Gotha-  
nus, cætus Racoviensis minister, Photinianus satis  
notus, refutare conatus est. Hujus Refutationis  
Examen promiserat quidem Graverus, quemad-  
modum etiam aliorum scriptorum à Smalcio sibi op-  
positorum, in disputatione quadam publicâ ipsi  
Smalcio oppositâ, & anno 1616. Jena habitâ; sed  
partim propter varia & multiplicia negotia, quibus  
erat occupatissimus, præsertim cum officio Superin-  
tendentis generalis Ducatus Saxo-Vinariensis, ad  
quod eodem anno vocabatur, fungeretur, partim  
& præcipuè propter adversam valetudinem, insti-  
tuere

A 2

tuere



4 tuere haud poterat. Postquam verò jam antetrien-  
nium, Deus ille ter Opt. Max. pium & doctum  
hunc Theologum ex hac vita in caelestem evocavit  
patriam, ego tandem laborem illum in me suscepi,  
ac piam nostram de Christo sententiam, contra ad-  
versarii sophismata defendi: id enim Christi gloria,  
de qua potissimum hic agitur, requirebat: pietas  
quoque erga præceptorem, optimè de me meritum,  
jubebat.

Tuo autem nomini, Magnifice & Nobilissime  
Vir, hæc pagellas inscribere volui, cum quòd sin-  
gularis quidam vere ac orthodoxæ religionis zelus  
in T. Nobiliss. Magnif. elucet, tum ut aliqua ex  
parte erga T. Nobiliss. Magnif. gratum meum te-  
starer animum, à qua me plurimis beneficijs affe-  
ctum esse profiteor. Accipiat igitur T. Nobiliss.  
Magnif. exiguum hoc, debita tamen gratitudinis  
& observantia *ἡ ἐκ μὴ ἐροῦ*, pro eo favore, quo me com-  
plectitur ac in posterum quoque mihi favere mea-  
que studia fovere & promovere pergat. Deum toto pe-  
ctore invoco, ut Nobiliss. T. Magnif. ad Ecclesiæ  
& Reipubl. salutem quam diutissime sospitem & in-  
columem conservet. Rostochij 18. Junij Anno 1621.

T. Magnif. & Nobil.  
observantissimus

Valentinus Legdæus  
Licent.

ovv





ὄν τῷ Θεῷ

EXAMEN REFUTATIONIS  
VALENTINI SMALCII  
Thesium de Incarnatione  
Filij DEI.



Erè *magnum* pietatis & Christianæ religionis *mysterium* esse, quòd *æternus Dei Filius*, propter nos homines & propter nostram salutem descenderit de cœlis & de Spiritu sancto & Maria virgine *incarnatus & homo factus sit*, hæctenus piè credidit Christiana Ecclesia; verùm *Valentinus Smalcus* cœtus *Racoviensis* minister *Photinianus* in *Refutatione* Thesium *D. Alberti Graveri* p. m. de *Incarnatione Filij Dei* pag. 3. 4. & 16. dogma *Incarnationis* ad salutem non tantum *necessarium* esse negat; sed & in Christiana religione *omnium* ferè *monstruosissimum, absurdum, indignum*, quod in Christi Ecclesia locum habeat, immò tale, quod ad *fundamentum salutis* quod est *Jesus Christus*, *evertendum* aptissimum & accommodatissimum sit, appellare non erubescit: *Filium Dei ante* Incarnationem fuisse, *ingentem fabulam* esse dicit. Horresco referens istas blasphemias.

Quòd autem *ad salutem minimè necessarium sit*, probare annititur adversarius, hoc modo: *Quicquid ad salutem necessarium est absolute, id* *Incarnationis dogma,* *prout in sacræ literis contineri, necesse est.* *Quomodo enim omnes id intelli-* *an ad salu-* *gere & credere possent, præsertim rudiores, quorum semper major fuit numerus tcm necessa-* *in Christi Ecclesia, juxta illud Pauli, Videte, fratres, vocationem vestram, quòd ritum sit?* *non multi sapientes secundum carnem &c. quod prout scriptum non extaret, &* *ex deductionibus solis penderet? unde constat, tanto magis id requiri in dogma-* *te, quod non tantum necessarium est ad salutem, sed ut ait D. Graverus pro ra &* *puppis nostræ salutis. At nullibi extare prout scriptum: Aeternum Filium*





*Dei incarnatum esse, vel Deum esse hominem factum tum hæcenus à nobis fuisse demonstratum est, tum hæc ipsa disputatio satis evidenter docet. Ita adversarius. Verum Smalcus æternum Dei Filium verè incarnatum & hominem factum esse non concederet, etiam si alicubi disertè scriptum esset, Deum esse hominem factum, sed fatius esse crederet, aliquam figuram ad istum loquendi modum adhibere potius, quàm permittere, ut proprie id ita accipiatur. Hæc enim sunt verba Smalcij in Exam. cent. error. quos Smiglecius collegit pag. 22. Non igitur revera Smalcus cum suis Incarnationem Filij Dei, dogma Christianæ religionis, & ad salutem necessarium esse, negat propterea, quòd in scriptura his ipsis verbis non legatur, æternum Dei Filium esse incarnatum, seu Deum esse hominem factum, sed longè propter aliam causam. Illa autem absq; dubio nulla alia erit, nec esse poterit, quàm quòd Smalcio videatur, rationi repugnare, Deum esse hominem factum. Atqui Christum hominem collocatum esse ad dextram majestatis Dei longè super omne imperium & potestatem, potentiam & dominationem Eph. 1. v. 20. 21. Hebr. 1. v. 3. & verum & perfectum hominem natum sine virili semine ex Maria virgine, aliaq; similia, quæ scriptura habet, equè videntur rationi repugnare, quàm æternum Dei Filium incarnatum, seu Deum esse hominem factum; cur igitur hæc credit Smalcus, Incarnationem æterni Dei Filij non credit? Certè, quemadmodum absurdum non est, Christum hominem sedere ad dextram majestatis Dei in locis excelsissimis, datam ipsi esse omnem majestatem, gloriam & potestatem in cælo & in terra Matth. 28. v. 18. quam increatam esse concedit Smalcus in Refut. duor. Smigl. lib. quos de errorib. Arian. inscripsit pag. 75. ita absurdum esse non potest, æternum Dei Filium assumpsisse humanam naturam in unitatem suæ personæ, & hominem factum esse. Immo quòd Christo homini ut homini tanta & tam sublimia, quæ nulli creaturæ prorsus debentur, in tempore data & communicata fuerint, præsupponit tanquam necessarium consequens suum antecedens, seu effectus propriam suam causam, præter humanam in Christo divinam quoq; esse naturam, atq; duas hæc naturas, divinam scilicet & humanam in unam personam unitas esse: aliàs enim omnia illa divina Christo homini ut homini dari non possent, nisi in una persona esset simul verus & naturà Deus: quia Deus gloriam suam alteri non dat Esa. 42. v. 8. & 48. v. 11. hoc est illi, qui non est Deus, & qui à persona Dei omninò separatus est, quemadmodum*



7  
dum sunt omnes alij homines, angeli, omnesq; aliæ creaturæ. Manifestam insuper implicat contradictionem *in creatam & infinitam* potestatem esse in *subjecto aliquo finito*; solum in summo & infinito Deo est, ac esse potest. Neq; vero, quia Deum seu æternum Dei Filium hominem factum esse docemus, hinc sequitur, illum *id esse de-* *hisse*, quod antea fuit, ut *Smalcus* quidem putat, siquidem divina natura non *mutata* vel *conversa* fuit in carnem, sicut aqua mutata fuit in vinum Johan. 2. v. 9. quo exemplo loco allegato utitur adversarius; sed humana natura tantum *assumpta* est in unitatem personæ divinæ. Atq; ita mansit Dei Filius id, quod antea erat, nimirum, verus & naturâ Deus, & factus est id, quod antea non erat, nempe homo. Absq; omni igitur absurditate admitti potest, atq; etiam debet ut *proprie* accipiantur hæc verba, *Deum esse hominem factum*. Hinc etiam manifestum esse potest, nullam revera causam Photinianos habere, quod manifesta illa scripturæ dicta, quæ æternum Dei filium incarnatum & hominem factum esse, testantur, depravent, & in alienum sensum, ne id admittere cogantur, detorqueant. Sed propius ad rem. *Omnia* (inquit *Smalcus*) *quæ ad salutem absolutè* *necessaria sunt, in sacris literis* *ῥητῶς* *contineri, necessum est.* *λίαν μὲν οὖν αἰ-* *τυγε.* Verum ex hypothesis concedam *Smalcio*: Ergone omnes & *single* phrasæ, quibus ea, quæ ad salutem *necessaria* sunt, in Ecclesia exprimuntur & declarantur, in sacris literis *ῥητῶς* scriptas esse, necesse est? Hoc si voluerit *Smalcus*, dicam plus esse in conclusione quam fuit in præmissis. Sed adversarius hoc velle videtur. Sic enim in *Refut. Th. Ravensp. pag. 56* scribit: *Nilil ad salutem necessarium est, quod non sit non tantum clarissimum, sed etiam* *isdem verbis expressum in sacris literis.* At hic velim, ut omnes suas phrasæ & locutiones, quibus ea, quæ ad salutem *necessaria* esse putat, exprimit & declarat, & cum ipso Photiniani reliquis, in sacris literis *isdem verbis* contineri, mihi commonstret. Sed non poterit: certus sum. Ubi enim *his ipsis verbis* in scriptura legitur, *Christi potestatem esse veram & æternam divinitatem, & Christum esse verum & æternum Deum, à summo Deo factum, ut Photiniani docent?* ac nihilominus *Smalcus* Christi divinitatem, quam in potestate consistere, ait, *proram & puppim* suæ religionis agnoscit in *Refut. orat. Vogelij pag. 5.* Verba ipsius sunt: *raciè apud incautos nos traducit* (alloquitur Vogelium) *quasi de vera & æterna Iesu Christi divi-*

*Ad salutem necessaria, an in sacris literis ad litteram sine expressa?*



3 *si divinitate dubitemus, quam tamen proram & puppim nostræ religionis agnoscimus. Divinitas enim potissimum in potestate consistit, & vox Deus potissimum, immò proprie ob potestatem, ijs, de quibus prædicatur, tribuitur. Cùm vero ea sit Christi divina potestas, quæ ad salutem nostram procurandam & perficiendam perfectissimè sufficiat, eaq; in æternum duratura sit (nemo enim Christo servatori successurus in gubernatione populi divini est) verè vera & æterna est divinitas, adeoq; Christus verus & æternus Deus jure appellari potest. Hactenus ille. Et in Refut. duorum Smiglec. libr. quos de errorib. Nov. Arian. inscripsit, pag. 21. necessario credendum esse dicit, quòd Spiritus sanctus sit Dei virtus, quâ omnes credentes donat: ubi vero ἰησοῦς & expressè hoc ipsum in sacris literis ita scriptum extat? ubi his ipsis verbis in scriptura legitur: Christum esse invocandum? attamen & hoc necessariò credendum esse, Photiniani non negant; immò Catechism. pag. 177. Christianos illos non agnoscit, qui Christum invocare & adorare nolunt. Unde concludo, non omnia, quæ ad salutem, ipsis etiam Photinianis testibus, necessaria sunt, iisdem verbis, quibus in Ecclesiæ exprimuntur & declarantur, expressa esse in sacris literis, neq; ut expressa sint, necessum esse. Sic igitur propositionem adversarij corrigimus: Quicquid ad salutem necessarium est, id vel iisdem verbis in sacris literis continetur, vel etiam secundum rem ipsam, & per phrasas equipollentes in illis apertè extat, ita, ut quivis intelligere possit, modo mediocrem diligentiam adhibeat: non enim oscitanter scriptura legenda, sed diligenter scrutanda, juxta illud Christi Johan. 5. v. 40. scrutamini scripturas. Satis vero esse, quando res ipsa in sacris literis apertè extat, nobiscum etiam ipsi Photiniani fatentur. Sic namq; Socinus in defenf. animadv. in Assert. Theol. Colleg. Posnan. pag. 179. scribit: Neq; enim ut hoc ipsum (nempe Jesum Dei Filium à summo illo Deo esse Deum factum & constitutum) verum sit, id ipsum ad verbum scriptum invenire est necesse, sed satis est, sententiam ipsam in sacris literis apertè extare. Et ipse Smalcus in Refut. disput. D. Graveri de person. Christi pag. 7. inquit: etiamsi scriptura nunquam ἰησοῦς diceret, quòd Deus pater Christum fecerit Deum super omnia: tamen ideo dici non posset, eum non esse factum talem à Deo patre; satis enim est, si alijs verbis id scriptura dicat, quæ his vel equipolleant, vel ex quibus hæc pendeant: & tamen adversarius divinitatem Christi proram & puppim suæ religionis agnoscit, ut paulò ante vidimus, licet in Refutat. duor. Smigl. libror. quos de errorib. Nov. Arr.*

NOV. ARR.



Nov. Arr. inscripsit, pag. 113. Sententiam de divinitate Christi ad salutem non necessariam; sed tantum utilissimam esse dicat. Conciliet. Idem affirmat Ostorodus in Institut. pag. 65, 66. atq; illos, qui ita, ut hic Smalcus, argumentantur, in objectionibus suis non tam veritatem, quam victoriam respicere, asserit.

At obijciat Smalcus: Neq; in scriptura expresse legi, *Æternum Dei Filium incarnatum*, seu *Deum hominem factum* esse, neq; etiam æquivalentes phrasæ in ea reperiri. Respondeo: hoc falsissimum esse, testantur scripturæ dicta satis manifesta, ut Joh. I. v. 14. *ὁ λόγος ὁ ἀρχὴ ὁ γεννητὸς τοῦ πατρὸς ὁ ἰσὺς τοῦ πατρὸς ὁ ὢν μετὰ τὸν πατέρα ὁ ὢν ἁπλοῦς τῷ πατρί*. Rom. 8. v. 3. *Deus suum ipsum filium misit in similitudine carnis peccati*. Gal. 4. v. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Rom. I. v. 9. *Filius Dei factus ex semine Davidis secundum carnem*. I. Tim. 3. v. 16. *Deus manifestatus est in carne*. Hæc & similia scripturæ dicta, clarissime probant, æternum Dei Filium incarnatum seu hominem factum esse, licet adversariorum mens errorum nebulis obvoluta, id non videat, ut postea videbimus.

Audiamus nunc etiam, quomodo Smalcus probeat, Incarnationis dogma ad evertendum fundamentum salutis, quod est Jesus Christus, aptissimum & accommodatissimum esse. Nam (inquit) si æternus Dei Filius incarnatus est, sequitur eum antea existisse & personam fuisse, quam incarnaretur. Persona enim tantum incarnari potest. Si antea existit & persona fuit Filius Dei, quid, queso, opera Spiritus Sancti in utero virginis conceptum fuit & natum? Certe non persona, jam enim essent duæ personæ, & duo Dei Filij. Si persona non est nata ex virgine Maria, quomodo homo dici meretur, id quod ex ea natum est? Cum homo nemo appellari possit, qui persona humana non sit. Homo enim persona sua & nulla alia re homo est. Si homo ex virgine Maria natus non est, quomodo scriptura falsi non accusatur? Quomodo tacite non negatur Iesum Christum esse fundamentum salutis nostræ? Homo enim Iesus Christus disertissime mediator Dei & hominum appellatur & per hominem resurrectio esse dicitur. Sed quia Deus non permisit hactenus, ut dogma hoc vim suam exereret. docere enim nituntur adversarij, licet valde inepte Christum etiamsi nec persona humana, nec perfectus homo sit, esse tamen hominem, ideo nos rigide cum illis non agimus, & fundamentum salutis ab illis tolli non dicimus, sed errorem tantum crassum hunc detegere pro virili studemus. Hactenus ille. Respondeo: Quod nos Christum perfectum hominem non fuisse doceamus, affingit nobis Smalcus. Nunquam enim hæc nostræ

B

Eccle-



Ecclesiæ docuerunt, nec etiam ex nostra sententia sequitur, quicquid etiam dicat adversarius. Equidem Filium Dei antea extitisse & personam fuisse perfectam, quam incarnaretur, non tantum concedimus, sed & maximè urgemus: Verùm hanc ipsam personam dicimus ex Maria virgine opera Spiritus Sancti, *veram & perfectam* humanam naturam, tum quo ad *substantiam*, tum quo ad *accidentia* ejus, excepto peccato Hebr. 4. v. 15. & *accidentibus* illis, quæ cum peccato connexa; *propriam* verò *personalitate* destitutam, in unitatem suæ *ὑποστάσεως* assumpsisse, atq; *in & secundum* hanc assumptam naturam humanam fuisse conceptam & natam, quemadmodum Paulus Rom. 1. v. 3. ait, *Filium Dei factum esse ex semine Davidis ἡ ὡς ἄνθρωπος secundum carnem*, & Petrus I Epist. 4. v. 1. *Christum ἑνὸς ὄντος in carne passum esse*. Persona itaq; omninò in utero Mariæ virginis fuit *nata & concepta*; at illa non fuit *persona alia & diversa à persona divina* æterni Dei Filij. Etenim non *personam*; sed *naturam* humanam propriam *personalitate* destitutam, Filius Dei in unitatem suæ personæ assumpsit, *in quâ* dicitur conceptus & natus. Neq; tamen hinc, quòd personam divinam in utero Mariæ virginis, *in & secundum* humanam naturam, quam ex illa assumpsit, natam & conceptam fuisse dicimus, sequitur *personam* divinam ex Maria *initium* habuisse, sed quòd Deus & homo in Christo *una persona* fuerit. Hinc propter *unitatem* scilicet personæ, Maria salutatur *mater Domini* Luc. 1. v. 43. & quòd ex ea natum, vocatur *Filius altissimi*, & *Filius Dei*, v. 32, 35. & *Filius hominis* dicitur *Filius Dei viventis*, Matth. 16, v. 13. 16. Non igitur duo Filij, sed *unus* est Filius, quia *una* persona, Deus & homo, & *unus* mediator est Dei & hominum, homo Jesus Christus, 1. Tim. 2. v. 5. *unus* Dominus Jesus Christus per quem omnia. 1. Cor. 8. v. 6.

Christus nō  
personam,  
sed natu-  
ram huma-  
nam assum-  
psit.

Sed objicit adversarius: *Si persona humana non est nata ex Maria virgine, utiq; nec Christus homo dici meretur, cum homo nemo appellari possit, qui non sit persona humana.*

Respondeo: *Extra* unionem quidem, homo qui est, propriam quoq; habet personalitatem, quâ susistit: atq; hac ratione homo nemo est & dicitur, qui non sit persona humana. Quia vero humana Christi natura à persona divina *assumpta* est ei; *unita*, idcirco propriam personalitatem non habet, nec *unquam* habuit: eodem n. momento, quo esse capit, in persona Filij Dei, à qua assumpta fuit, capit



capit etiam existere. Habuisset autem & haberet propriam per-  
 sonalitem, nisi personæ Filij Dei esset *unita*. Divina enim persona  
 Filij Dei sua unione impedivit, ne humana natura propriam perso-  
 nalitatem haberet. Anné vero dices, Christum hominem *propterea*  
 non esse, nec appellari posse, quòd non *proprium*; sed *alienam* habeat  
 personalitatem eaq; subsistat? minimè: Verus & perfectus homo  
 omninò est, siquidem ei nihil deest, quod ad *veritatem & perfectio-*  
*nem* humanæ naturæ attinet. *Diversa* quidem personalitas est in  
 Christo, ac alijs hominibus; *una* tamen *eademq;* prorsus naturæ hu-  
 manæ ratio est. At homo personâ suâ & nullâ aliâ re homo est,  
 ait Smalcus. Nego hoc: Homo *humanitate* suâ homo est, non per-  
 sonâ. Persona enim sive *potius personalitas* (sermo namq; hic est de  
 personâ, prout in *abstracto* non *in concreto* consideratur, quod notari  
 velim; in omni enim personâ *duo* se offerunt, *natura* videlicet singu-  
 laris & *personalitas*) ad constituendam hominis naturam, neq; ut  
*materia*, neq; ut *forma* se habet, sed tantum *terminus* & naturæ *modus*  
 est. Et quamvis *personalitas*, ut naturæ *modus* & *terminus*, naturaliter  
 naturam consequatur; attamen non sicut *propria passio* naturaliter  
 consequitur subiectum jam constitutum: quoniam non *ea ratione*  
 personalitas naturæ adest, quasi quod *datâ formâ*, dentur *consequen-*  
*tia* ad *formam*; sed sicut *terminus* actionis & rei factæ, *naturaliter* adest  
 in *sine* actionis & rei factæ, nisi adsit *impedimentum*, vel ut *perfectio*  
 seu complementum effectus *naturaliter* sequitur effectum, cuius est  
 complementum: natura enim humana ut prior *causalitate*, incom-  
 pleta est, quo ad ultimum *terminum* & existentiae modum; ut vero  
 personalitate sua *terminatur*, ultimum complementum & subsisten-  
 di modum assequitur & obrinet. Personalitas igitur in *tantum* ad  
 naturam hominis pertinet, in quantum pertinet ad eam, ut per per-  
 sonalitem *terminetur*, modificetur & ultimam complementum  
 assequatur atq; subsistat. Unde etiam homo personalitate sua *per se*  
 homo nec est, nec dicitur, nisi quatenus huic naturæ humanæ su-  
 peraddita, constituitur eâ persona humana, quæ dicitur homo.

Applicemus jam hoc ad humanam Christi naturam, quam  
 quia propriam personalitatem non habere, nec habuisse unquam  
 asserimus, cum persona divina unione sua impediverit, ne haberet,  
 quomodo ergo illa *terminata*, personata, & ultimum suum comple-

Christus ve-  
 rus & per-  
 fectus homo.

Homo hu-  
 manitate

sua homo est

Personalitas  
 quomodo na-  
 turam con-  
 sequatur.





*Persona divina in Christo supplebit personam humanam.* mentum affecta sit, quæritur, cum non nisi per personalitatem suam terminari, personari & ultimum suum complementum assequi potuerit? Respondeo: per *personam divinam*, quæ personam humanam abundè *supplevit*: illa enim humanæ Christi naturæ perfectionem fuit communicata, atq; sic per illam personata ac terminata, ut *alterius* terminari non possit, inq; ea propriam suam substantiam habet.

*Christus, an sit imperfectior homo alijs hominibus?* Instat *Smalcus* lib. de vero & natural. Dei Fil. contra Smigl. pag. 7. *hac ratione Christum esse hominem imperfectiorem, quam omnes alijs homines sunt aut fuerunt. Singulos enim homines per se subsistere; solum hominem Christum subsistere in alio. Semper autem id, quod per se subsistit, præstantius esse eo, quod subsistit in alio.* Respondeo: Imperfectior esse non potest, cum ei nihil quicquam *decedat*, quod vel ad *perfectionem* naturæ humanæ, vel ad *substantiam* ejus attinet; sed tantum *accedat* potius, quantò persona divina & infinita *potior* humanæ & finitæ est: ex peculiari, inquam, hac substantiâ, quam humana Christi natura in persona divina habet; si vel maximè *generatim* loquendo, omne quod per se subsistit, perfectius & præstantius sit eo, quod subsistit in alio. Hinc concludo: Quicumq; perfectiorem & præstantiorem habet substantiam, quàm omnes alijs homines, is non imperfectior; sed potius perfectior & præstantior homo est, quàm omnes alijs homines sunt aut fuerunt, ratione nimirum substantiæ.

Indicent nunc pij & eruditi, an nostra sententia de Christo velit, vel ex illa sequatur, eum non esse *perfectum* hominem, atq; sic *fundamentum salutis* tollat, quod affirmare ausus fuit *Smalcus*, quæ Christum non solum *verum & perfectum* hominem esse docet, sed & *præstantiorem*, quàm omnes alijs homines sunt, vel fuerunt. Certè vel adversarius doctrinam nostram de Christo rectè affectus est & eam intelligit, vel non. Si nondum rectè illam affectus est, & non intelligit, cur illam nondum rectè intellectam sigillat? Si vero affectus est & eam rectè intelligit, annon igitur calumniatur



tur nos, affingens nobis sciens & volens talia dogmata, quæ sunt  
absurda & indigna, ut in Ecclesia Christi locum habeant? Is enim  
verè calumniatur, qui aliquem enorme aliquid vel indignum fecisse  
vel dixisse, sciens, volens affirmat, quod tamen non fecit nec dixit,  
scribit adversarius in *Refut. duar. Smigl. lib. p. 317.*

Rectius autem nos & verè de Photinianis asserere possumus  
quòd salutis fundamentum tollant, quia *personam* Christi negant, eo,  
quod nudum revera ex eo faciant hominem, & Deum æternum esse  
negent, atq; sic veram & æternam Deitatem illi adimant. Nun-  
cupant sanè illum Deum, sed non, qui *naturâ & essentiâ*, verum *officio*  
& *excellentiâ donorum divinorum* duntaxat Deus fit, hoc est, verus &  
naturâ Deus non fit. Annon hoc est personam Christi abnegare?  
*Christus est Deus super omnia benedictus in secula Rom. 9. v. 5. Verus Deus &*  
*vita æterna* 1. Johan. 5. v. 20. *Dominus Dominorum* Apoc. 17. v. 14. &  
cap. 19. v. 16. *per quem omnia facta & condita sunt, quæ in cælis sunt, & quæ*  
*interra, visibilia & invisibilia, & qui est ante omnia* Joh. 3. v. 3. Col. 1. v. 17.  
*quem Iohannes* Apocalyp. c. 1. v. 5. his verbis æternam suam Deita-  
tem asserentem introducit: *Ego sum æ & ω, principium & finis dicit Do-*  
*minus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.* Cum igitur  
Photiniani æternam Deitatem Christo, quantum in ipsis est, adi-  
mant, quomodo personam ejus non tollunt? qui Christum natura  
Deum, & quidem verum Deum, (non nisi autem *unum* verum Deum  
novimus, non *duos* & quidem *inequales*, quales fingunt Photiniani)  
negat, is personam Christi negat, qui personam Christi negat, quo-  
modo fundamentum fidei, quod est Jesus Christus non tollit?

At occurrit hic nobis adversarius, & suam de Christo senten-  
tiam mirificè commendat, & quantò sua de Filio Dei nostræ sen-  
tentix præster, his verbis docere annititur: *Sententia quæ nullam aliam*  
*Filium Dei, præter & ante Iesum hominem natum ex virgine confitetur, viam*  
*salutis & ipsam salutem ad oculum quasi depictam ostendit, dum eam in nostris*  
*nobis natura conspiciendam præbet: opinio vero, quæ alium Filium Dei, præter*  
*& ante Iesum ex virgine natum fingit, totum hoc mirificè obscurat & intricat.*  
*Quantum enim natura humana in Christo præbet consolationis & spei: tantum*  
*divina cum ea conjuncta detrahit.* Hactenus ille. Verum hic rursus  
non possum non accusare adversarium, quòd nostram doctrinam  
de Christo Dei Filio iterum pervertat. Quis, Smalci, ex nostris



unquam docuit, *Filium Dei æternum à Patre ante omnia secula genitum*, esse *alium Dei Filium* ab illo, qui in tempore ex Virgine Maria conceptus & natus est? Fingis hoc, *unam eandemq;* personam, *unum eundemq;* Filium esse dicimus, qui ex substantiâ Dei patris ante secula genitus est secundum divinam naturam, & in tempore in utero Mariæ virginis natus & conceptus in & secundum humanam naturam. Non igitur *aliam* Dei Filium *præter* Jesum Christum agnoscimus, licet *aliam* naturam, nempe divinam, præter humanam in Christo, juxta sacram scripturam, confiteamur.

Ergò etiam sententia nostra de Dei Filio non obscurat & intricat viam salutis & ipsam salutem; sed vel maximè ad oculos quasi depictam ostendit, & eam in nostra natura nobis conspiciendam præbet, dum docet, æternum Dei Filium, qui suâ naturâ invisibilis erat, assumpsisse naturam humanam, atq; ita visibilem factum fuisse, visibiliterq; hominibus in terris apparuisse in assumpta carne i. Timoth. 3. v. 16. & quidem propter nos homines & propter nostram salutem. Factus enim est ex muliere & legi subiectus, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem Filiorum reciperemus, inquit *Paulus* Gal. 4. v. 4. 5. & ut mori posset, & per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolus Hebr. 2. v. 14. id quod meri hominis mors facere non potuisset; immò nulla prorsus creatura diaboli imperium destruere potest: ipse enim est fortis ille armatus, fortiorem supervenire necesse est, qui universa ejus arma auferat Luc. 11. v. 22. is vero Dei Filius est, qui diaboli dominus est, & ideò in carne manifestatus est, ut dissolveret opera Diaboli i. Joh. 3. v. 8. quid autem plus consolationis & spei nobis præbere posset, quàm hoc ipsum? Et quomodo, quæso Christus vitam æternam nobis dare posset, quemadmodum promittit Joh. 10. v. 28. si æternus Deus non esset, cum non nisi Deus æternus vitam æternam dare queat? Idcirco etiam Catechism. pag. 34. *necessum esse, ait, credere Deum esse æternum, ut ab ipso vitam æternam sperare possimus, quod aliàs fieri non posset, cum nemo alteri dare possit id, quod ipse non habet.* Quantum igitur doctrina, quæ divinam naturam cum humana in Christo conjunctam esse docet, præbet consolationis & spei: tantum doctrina illa, quæ aliam præter humanam in Christo naturam non agnoscit, detrahit, quæ Photinianorum est. Sed de his satis.

Con-



Confero me nunc ad illa, quæ Smalcus disputat de loco 1. Tim. 3. 15  
 v. 16. ὁμολογῶμεν ὅτι ἡ ἀσθενεία μυστήριον, θεὸς ἐφω- Locus K  
 νερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, ὡφθη ἀγγέλοις, ἐκηρύχθη 1. Tim. 3. v. 16.  
 ἐν ἔθνεσιν, ἠπιστεύθη ἐν κόσμῳ, ἀνελήθη ἐν δόξῃ, ex quo Graverus  
 p. m. cum nostris Ecclesijs Incarnationem æterni Dei Filij ejusdemq;  
 æternam Deitatem probat, atq; ita evincit, Filium Dei æternum  
 antea extitisse, quàm incarnaretur. Ita vero pro Deitate Christi  
 æterna ex hoc Paulino loco argumentatur; *Quicumq; in N. T. ita Deus* Argumentū  
*appellatur, ut absolute subjecti locum in enunciatione obtineat, is est verus &* pro Deitate  
*æternus Deus. Atqui Christus in N. T. ita Deus appellatur, ut absolute subjecti* Christi æter-  
*locum in enunciatione obtineat. Ergo Christus est verus & æternus Deus.* na contra-  
*Photinianos*  
 Majorem Photiniani concedunt; sed Minorem negant: illam vero ex loco Pauli  
 Graverus inter alia etiam allato testimonio Paulino probat, in quo 1. Timoth. 3.  
 loco subjecti absolute ponitur Deus in enunciatione, & ipsi tanquam v. 16. desum-  
 subjecto aliquid attribuitur, & tamen Christus intelligitur. tum.

Hic quia Photiniani nihil habent, quod excipere possint, ne- An locus ille  
 gant tandem hunc locum de Christo intelligendum esse, & putat de Christo  
 Smalcus satis esse, quod neget, ideoq; etiam Graverum non debuisse agat.  
 allegare hunc locum pro confirmanda sua sententia; sed alium ad-  
 ferre, quem illi non negarent. Verba Smalcij sunt: *sed quomodo de*  
*loco controverso potest dirimi controversia? Queritur an hic sit sermo de Chri-*  
*sto? Quomodo igitur hoc loco probari potest, Christo vocem Dei, cum subjecti*  
*locum obtinet tribui? Certè satis esse nos istud negare, eruditi intelligunt:*  
*Gravero autem talis locus afferendus erat, in quo extra omnem controversiam,*  
*vox Dei, cum subjecti locum habet, Christo tribuatur, si inde evincere velit,*  
*eum esse Deum æternum. Ita succumbens in ipso certaminis initio, probatione*  
*Minoris suæ omissa, ad ea, quæ nos de loco illo dicimus, refutanda progreditur.*  
 Hæc ille.

Verum quæfiverim hic ex Smalcio, an, si ego demonstrarem, lo-  
 cum Pauli 1. Timoth. 3. v. 16. non nisi de Christo accipiendum esse,  
 hoc ipso non sufficienter probarem, Christo vocem Dei, cum subjecti  
 locum obtinet, tribui? negare certè non poterit, siquidem hoc in  
 loco, vox Dei, subjecti locum habet in Enunciatione, & ipsi tanquam  
 subjecto aliquid tribuitur. At hoc & non aliud probare debuit Gra-  
 verus, hoc ipsum quoq; probare intendit, quando ea in disputatio-  
 ne sua refutat, quæ de hoc loco Pauli dicere solent Photiniani.

Cur



Cur igitur *Smalcus* dicit, ipsum *Minorem* suam non probasse, & in initio certaminis succubuisse? An succumbit is in disputationis certamine, & sua non probat, qui nihil aliud agit, quam ut probet ea, quæ sibi probanda incumbunt? nugæ. Obijcit adversarius: *Cum loco controverso dirimi controversia non possit, & hic locus Pauli ab illis in controversiam vocetur; ideoq; Graverum debuisse adferre talem locum qui esset extra controversiam.* Respondeo: Loco controverso non potest quidem dirimi controversia, *quam diu* scilicet non demonstratur, frustra eum ab adversario *in controversiam* vocari: quàm primùm vero hoc fit, tùm sufficienter etiam illud probatur, quod est in controversia. Et quodnam scripturæ dictum est, quo pro confirmanda æterna Deitate Christi nostræ Ecclesiæ utuntur, quod non adversarij vel de Christo intelligendum esse planè negent, vel depravent, & in alienum sensum detorqueant? Ergone illis in disputatione contra adversarios amplius uti *simpliciter* non licet, nec *ita*, ut ea ab illorum *impugnationibus & depravationibus* vindicemus, imprimis si dicta illa *ita* comparata sint, ut contra adversarios *defendi* possint, atq; hoc modo sententiam nostram ex illis probemus? Quis hic disputandi modus, quem prætoria autoritate nobis præscribit *Smalcus*. Annon omnes hæretici scripturæ dicta, quæ sibi *adversari* vident, in *controversiam* trahunt? Ergone contra ipsos orthodoxus illis uti non debet, *ita*, ut ea *defendat*, & sic tandem sententiam suam ex illis probet? absurdum impium! sic enim hæretici nudis suis negationibus (si *negare* scilicet sufficit, ut hic vult *Smalcus*) efficiunt, ut orthodoxus sententiam suam deserere cogatur.

Deinde *simpliciter* omnia negare non sufficit, requiritur etiam interdum, ut negationis nostræ *rationes* proferamus, ne videri velimus aliquid absq; *ratione* negasse. Nam pro inepto disputatore meritò habetur is, qui *simpliciter* omnia negat, neq; negationis suæ *rationes* profert, nec etiam proferre potest. Novit hoc ipsum, absq; dubio, optimè *Smalcus*, & cum ipso Photiniani reliqui, idcirco, ne videantur absq; *ratione* negasse, locum Pauli 1. Timoth. 3. v. 16. de Christo accipiendum esse, dicunt, illum nihil facere ad probandam æternam Deitatem Filij Dei ejusdemq; incarnationem, propterea, quòd *nulla fiat mentio ullius personæ in vulgata versione.* Responderat ad hoc *Graverus* thesi 14. *vulgatam versionem* non nobis, qui eam, ut

autem-



autenticam non acceptamus, sed Pontificijs obijciendam fuisse: nos ad fontes graecos provocare, in quibus *subjecti* loco, Deum poni, Photinianos negare non posse.

Verum quid ad hæc Smalcius? Agnosco (inquit) sed licuisse eam nobis obijcere, ij agnoscent, qui considerabunt, nobis hæctenus cum Pontificijs & Jesuitis potissimum rem fuisse: imò aduersus alios etiam urgeri eam posse statui-  
mus. Nam ex locis quorum varia est lectio, nihil certi concludi posse, verius est, quam ut probari debeat. Et sanè non sine gravi causa in exemplaribus antiquis tam constanter vox Deus omissa fuit, præsertim si, dogma illud Incarnationis ex isto loco demonstrari posse, creditum fuit. Unde magnus ille Erasmus dicere non dubitavit, subolere sibi, vocem hanc fuisse additam aduersus hæreticos Arianos. Hæc ille. Respondeo: Si aduersarius agnoscat, vulgatam versionem nobis non fuisse obijciendam, cur eam hic rursus nobis obijcit? forsan quoq; in omnibus antiquis exemplaribus latinis, vox Deus, tam constanter non omittitur, quemadmodum hic gloriatur Smalcius: & si maximè ita esset, sufficit tamen, quod nullum exemplar graecum, in qua lingua scripsit Apostolus Paulus, hæctenus reperire potuerunt aduersarij, in quo non sit vox Θεός: quod si etiam exemplar huiusmodi ostendi posset, nobis tamen dubium nullum esset, nomen Θεός ab ijs qui Deitatem Christi, vel utriusq; in ipso naturæ unionem hypostaticam negabant, sublatum fuisse. Erasmus  
vulgatam versionem non tantum probare, sed etiam iudicare, à nostris nomen Dei additum fuisse, mirum non est, cum in multis locis Arianizet. Explicatio verò seu potius depravatio huius loci Paulini ejusdem Erasmi, manifestè coargui potest ex textu graeco: & certè in primis prædicatis omnibus tam frigidus est, ut nihil supra: in ultimo autem sic hæret, ut prodire ulterius non possit, ideoq; securè præterit, nullâ additâ explicatione: unde etiam Smalcius ipse fatetur, Erasmus hunc locum parum sufficienter exposuisse. Nos autem veritatem textus graeci sequentes, dicimus in hoc loco per Deum intelligi Filium Dei: is enim est, qui in carne manifestatus est.

Erasmi testimonium suspectum.

Sed admissâ etiam voce Deus, negant nihilominus Photiniani de Christo hîc sermonem esse, sed de Patre intelligi posse dicunt, quòd sit in carne manifestatus, quatenus per homines qui, fuerunt caro, in carne sit hoc est, mortales & varijs calamitatibus subjecti, suam bonitatem potentiam & manifestam sapientiam mundo patefecerit, primò quidem per Christum, postea per Apostolos.

Hæc Photinianos





Hæc Ostorod. in disput. germ. Tradel. opposit. p. 109. Catechism. Racov. p. 112. Consensum suum hic quoq; addit Smalcus. Respondeo: Non negamus de Patre affirmari posse, quòd per Christum & Apostolos potentiam & sapientiam suam nobis patefecerit, sed *utrum Paulus hoc in loco id affirmare voluerit, quæritur. De vero & genuino sensu hujus loci Paulini jam disceptamus, quisnam ille sit. Erit autem absq; dubio is, quem monstrant ipsa verba & textus coherentia, atq; collatio aliorum scripturæ dictorum similium.* Non igitur est, ut dicant Photiniani, hunc locum de Patre hoc vel illo modo accipi posse; sed necessum est, ut demonstrent vel ex *phrasi, vel contextu & similibus scripturæ dictis*, ita etiam intelligi *debere*: aliàs exceptio illorum nullius erit ponderis. *Unus enim unius scripturæ loci sensus literalis & primarius est.* Jam vero hic Pauli locus i. Tim. 3. v. 16. ita se habet, ut *aliter* explicari nequeat, quàm vel de *solo* Patre, vel de *solo* Filio, vel de *utroq;* simul: siquidem *vox Deus*, absolutè posita, & quidem *ita*, ut *subjecti* locum occupet in Enunciatione, quemadmodum fit hoc in loco Pauli, non nisi *vero Deo* competit: neminem vero præter Deum Patrem & Filium, verum Deum agnoscunt Photiniani, *ita* scilicet, ut *persona* sit. At de *utroq;* simul hunc locum accipi non posse certum est, nec Photiniani etiam concedunt: Ergò vel de *solo* Patre, vel de *solo* Christo accipiendus erit. Quod si probare nequeat, illum de *Patre* intelligi posse ac *debere*: relinquatur, quod de *solo* Filio intelligendus sit.

Ægrè autem tulit Smalcus, quòd explicationem Photinianorum examinaverit *Græverus*: cur vero hoc facere non debuit? an ipsi hoc non licuit? Dicit quidem adversarius, *quòd nihil ad propositum faciat: nec enim illorum esse, locum explicare, sed satis esse, negare illum de Christo necessario intelligendum esse*; at quomodo ad propositum non faciat, si quis contra adversarium non tantum sua defendat, sed & contrariam adversarij sententiam refutet, non video. Annon disputatoris est, non tantum *vera* defendere, sed & *falsa* refutare, immò refutatâ explicatione Photinianorum hujus loci Paulini, confirmatur nostra. Sic enim Photiniani amplius nihil habent, quòd excipere contra nostram interpretationem possint: siquidem admissa *voce Deus* aliter Pauli locus explicari nequit, quàm vel de *Patre*, vel de *Christo*. Si de *Patre* intelligi simpliciter nequit, necessa-



cessario de Christo intelligendus erit. Quam verò ineptum sit, omnia simpliciter negare, nec quandoq; suæ negationis rationes proferre, paulò ante vidimus.

19

Catechismus Racoviensis pag. 113. ita interpretatur hunc locum Pauli, *ut per Deum intelligat voluntatem Dei de salute hominum, quæ plenè sit manifestata per infirmos & mortales homines.* Hanc explicationem & hic Smalcus approbat, eamq; se veritatis dilucidandæ gratia, confirmare velle, ait. Ita verò confirmat: *per vocem Deum, (inquit) intelligi sæpissimè voluntatem divinam, nemo inficiabitur: imò cum de cognitione & visione Dei sermo est, de cognitione divinæ voluntatis sermonem esse plerumq; qui vis, non oscitanter sacras literas legens, agnoscet. Vocem Carnis, significare homines infirmos & mortales pariter certum est, & consitetur Græverus ipse thesi 30. Hinc illud, omnis caro ut fœnum &c. Quod natum est ex carne caro est. Quid igitur absurdi in eo est, si dicatur Dei voluntatem esse manifestatam per homines infirmos & mortales, & hanc esse partem mysterij pietatis vel Christianæ religionis? Hactenus Smalcus. Respondeo: Nec nos dicimus, aliquid absurdi in eo esse, si dicatur, voluntatem Dei de salute hominis manifestatam esse per homines infirmos & mortales, nec de eo hic quæritur; sed hoc, *utrum Paulus de manifestatione voluntatis Dei de salute hominum per homines infirmos, hoc in loco etiam agat?* hoc & non aliud probare debet Smalcus, si suam sententiam confirmare velit.*

*Statu controversiæ.*

Vocabulum autem *Deus* si de *voluntate Dei* de salute hominum exponendum est, quomodo de Deo Patre tantum ex poni potest? cum voluntas illa æquè pertineat ad Filium, ac ad Patrem, quod ad versarij negare non possunt, cum *unitatem* Patris & Filij quoad *voluntatem* non diffiteantur? ubi etiam *vox Deus* idem significat, quod *Vox Deus, voluntas Dei?* Dicit quidem Smalcus, quod significationem illam habeat *plerumq; in illis scripturæ locis, ubi de cognitione & visione Dei sermo est; sciet, quod* sed hoc non probat. Neq; enim Deum cognoscere & videre, est *voluntas Dei?* videre & cognoscere tantum voluntatem ejus de salute hominum sed &, quid in essentia & persona sua sit, quantum nimirum scriptura hac de re nobis revelavit. Vult enim Deus in essentia voluntate & operibus suis à nobis agnosci, & cognitionem etiam essentia divina ad salutem necessariam esse, docent Photiniani ipsimet, ut videre in Catechism. pag. 32. & apud Smalcium in Refut. duor.

C 2

Smigl.



Smigl. lib. pag. 21. ubi de Deo *necessario credendum esse, ait, quod sit, quod sit unus, quod sit æternus, summè justus, potens, sapiens: Deum verò unum, æternum, justum, sapientem esse, ad essentiam ejus pertinet. Et Christus quoq; in cognitione essentia divina vitam æternam ponit Joh. 17. v. 3. cum inquit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: at cognoscere Deum Patrem esse verum illum Deum, est essentiam ejus cognoscere. Cur igitur Smalcus vocem Dei tantum per Dei voluntatem, & non etiam essentiam ejus interpretatur? Cur non & vocem Patris per voluntatem Patris & vocem Filij per voluntatem Filij exponit? nam quemadmodum de Deo dicitur, quod ipsum nemo unquam viderit, unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris ipse nobis exposuerit. Joh. 1. v. 18. Ita de Patre dicitur Joh. 6. v. 6. quod nemo ipsum viderit, nisi is, qui est à Deo & Matth. 11. v. 27. quod nemo ipsum noverit, nisi Filius, & cui Filius voluerit revelare: & de Filio, quod nemo ipsum noverit, nisi Pater, ibid. & qui ipsum videat, videat Patrem Joh. 14. v. 9. In omnibus vero scriptura dictis, ubi de cognitione & visione Dei sermo est, ipse Deus intelligitur, qui non tantum quo ad voluntatem, sed & essentiam suam à nobis videtur & agnoscitur; neq; contrarium facile demonstrabit adversarius.*

Vocem *carnis*, in scriptura nonnunquam significare afflictionem & miseriam hominis concedit quidem Graverus thesi 30. & nemo negat, ac testatur etiam illud Esai. 40. v. 6. à Smalcio allegatum; at Joh. 3. v. 6. vox *carnis* illam significationem propriè non habet, neq; Graverus hoc unquam concessit; sed accipitur pro *hominine carnali, impuro & iræ Dei obnoxio, nondum renato*, in quâ significatione *carni* crebro opponitur *Spiritus*, hoc est, homo, Spiritus Sancti gratiâ Christo infusus, & renatus: *Semper* vero vocabulum hoc ita accipi negat: sed quandoq; simul humanam quoq; naturam significare ait, quemadmodum etiam fit in hoc loco Pauli. Nihil autem hoc facit pro adversario, prius probare debuisset per vocem *Deus*, intelligi *voluntatem* Dei de salute hominum, & quidem hoc in loco Pauli: deinde per *carnem* Apostolos, propterea, quod interdum *vox carnis* significet homines afflictos & varijs calamitatibus obnoxios, quales fuere Apostoli: probare inquam debuisset, si explanationem suam confirmare voluisset. Nec probat hoc ipsum illud Apostoli 2. Cor. 4. v. 7. *Habemus thesaurum hunc* (nempe Evangelij)

Joh. 3. v. 6.  
Vox carnis  
non signifi-  
cat afflictio-  
nem & mise-  
riam homi-  
nis propriè.



gelij) in fictilibus vasis, quod hic citat Smalcus. Quis enim non videt, horum verborum Pauli 1. Tim. 3. v. 16. Deus manifestatus est in carne, longè alium esse sensum, quàm est illorum 2. Cor. 4. v. 7. nam ubi vox Deus idem est, ac Evangelium, seu thesaurus Evangelij?

21

Quòd autem Apostolus Paulus 1. Tim. 3. v. 16. non agat de patefactione voluntatis Dei de hominum salute per infirmos & mortales homines, patet inde, quòd de ejusmodi manifestatione Dei loquatur, quæ in N. T. sit magnum mysterium & quidem ὁμολογούμενον extra controversiam, omnium nempe piorum confessione magnum, quod à seculis in Deo absconditum, in N. T. vero revelatum fuit. Rom. 16. v. 26, 26. Eph. 4. v. 5, 9. Col. 1. v. 26. At voluntatem Dei de hominum salute patefactam esse per infirmos & mortales homines in N. T. magnum mysterium esse non potest, siquidem Deus voluntatem suam de salute hominum jam in V. T. per Prophetas patefecerat, qui non minus ac Apostoli homines infirmi ac mortales fuere, quemadmodum clarissimè colligitur ex locis Luc. 24. v. 26, 27. & 46. Act. 26, v. 22. Ergò de manifestatione voluntatis Dei de salute hominum Apostolus Paulus in loco 1. Tim. 3. v. 16. non loquitur.

Utrum Apostolus agat 1. Tim. 3. v. 16. de patefactione voluntatis Dei de salute hominum?

Sed assumptionem, ait iterum Smalcus, negamus prorsus. Diversa enim voluntas fuit ea, quam sub Evangelio Deus revelavit ab ea, quam Prophetæ revelarant. Quod ipse voces, novum Fœdus, satis superq; indicant. Nec aliud restantur loci allegari. Nam ex illis tantum colligitur, ea quæ sub novo Testamento revelata sunt, adumbrata quodammodo per Moysen & Prophetas fuisse. Respondeo: Quod alia & diversa voluntas sub veteri Fœdere seu Testamento in lege sit patefacta, quàm sub novo Fœdere seu Testamento in Evangelio, concedimus quidem; sed quod illa ipsa Dei voluntas de salvandis hominibus per Christum, in Evangelio expressa, tum demùm, quando novum Fœdus cœpit & Messias in mundum venit, revelata sit, & non etiam tempore veteris Fœderis seu Testamenti hominibus nota, & per Prophetas patefacta fuerit, hoc negamus. Certum enim est, non tantum voluntatem Dei in lege expressam; sed & in Evangelio revelatam, etiam ab origine mundi hominibus notam fuisse. Neq; contrarium voces novum & vetus Fœdus evincunt. Quod enim alterum Vetus alterum novum appellatur Fœdus, fit inter alia ratione solemnis & publicæ promulgationis. Ve-

C 3

tus



*Doctrina Evangelij tempore V. T. etiam nota fuit.*

tus namq; Testamentum & *doctrina legū* publicè & solemniter promulgata scribitur tempore educationis Israëlitarum ex Ægypto in monte Sinai Exod. 19. v. 18. Jer. 31. v. 32. Hebr. 8. v. 19. Novi verò Testamenti & *doctrinæ Evangelij publica* promulgatio prædicatur futura in novissimis, hoc est, Christi diebus ex Sion & Jerusalem Esa. 2. v. 2. 3. Mich. 4. v. 1. 2. Hinc quoq; Apostoli suas phrasas sumserunt 1. Cor. 10. v. 11. in quos fines seculorum devenerunt. 1. Joh. 2. v. 18. Filioli novissima hora est. Non igitur sensus est, quasi *ante exhibitum* Christum doctrina Evangelij de gratuita reconciliatione Dei propter Christum, non fuerit *tradita*; sed tantum, quòd *publicè & solemniter* non fuerit promulgata, *quemadmodum in N. T.* aliàs *innouit* illa in V. T. hominibus per revelationem & annunciationem Dei, sicut *jam* nota est nobis vita æterna, etiam, ut jam diximus, ab origine mundi. Primum enim Deus ipse statim post lapsum primis nostris parentibus eam proposuit, cum promitteret semen mulieris contriturum caput serpentis Gen. 3. v. 15. Abrahamo, cum promitteret in semine ejus omnes gentes benedictum iri Gen. 12. v. 3. 22. v. 18. Deinde per Prophetas sæpius fuit repetita & inculcata. Tertio in sacrificijs Leviticis alijsq; typis & figuris, quas Christus ipse Joh. 3. v. 14. Matth. 12. v. 20. ad se applicat, adumbrata fuit. Et si doctrina Evangelij in V. T. non fuit nota & patefacta, quomodo, quæso fideles in V. T. habuerunt Spiritum, justitiam & vitam, cum novum tantum Fœdus sit ministerium spiritus & justitiæ; vetus verò mortis & condemnationis 2. Cor. 3. v. 8. 9.

Excipit adversarius: *Tantum adumbrata quodammodo fuisse per Mo- sen & prophetas ea, quæ sub N. T. revelata sunt: illam verò adumbrationem* 1. Pet. 1. v. 12. *tantumdem valuisse, ac si nulla esset revelatio: cum nemo illorum, qui tunc extabant ea intellexerit. Hinc (inquit) D. Petrus ait, Prophetas non sibi, sed nobis ministrasse ea, quæ nunc nobis annunciata sunt per eos, qui Evangelizant nobis in Spiritu S. misso de caelo. Respondeo: Non tantum adumbrata quodammodo fuit in V. T. Evangelij doctrina de Christo; sed & suo modo, satis clarè revelata: suo modo, inquam: varijs enim umbris & figuris involuta fuit in V. T. interim tamen non fuit ignota, nec ejus revelatio planè nulla, licet obscura fuerit, respectu illius, quæ est in N. T. ubi perspicuè manifestata & publicè jam promulgata est salus illa, & quæ per & propter Christum nobis confertur gratia, omniaq;*  
*comple-*



*completa, quæ ventura prædixerunt Prophetæ. Quando igitur Petrus*  
1. Epist. 1. v. 10. inquit, quòd de salute animarum inquisierint, &  
eam scrutati sint Prophetæ, & quidem summo cum desiderio huic  
inquisitioni incubuerint, quod duobus verbis Apostolus exprimit,  
*ἐπιζητεῖν καὶ ἐξερευνᾶν*, utrumq; enim cum studio desiderium sin-  
gulare refert, de *perspicua & publica* manifestatione & promulgatio-  
ne ejus accipi debet, quæ nobis obtigit Christi adventu: quemad-  
modum ex verbis Christi Luc. 10. v. 23. 24. videri potest: *Beati oculi,*  
*qui vident, quod vos videtis. Dico enim vobis, multos Prophetas & reges cupi-*  
*visse videre, quod vos videtis, nec vidisse: & audire, quæ vos auditis, nec au-*  
*divisse:* & liquet etiam ex ipsius Petri verbis, quæ v. 11. sequuntur:  
*Scrutantes in quod vel quale tēpus significaret Spiritus Christi, qui erat in ipsis;*  
minimè vero putandum, Prophetas *simpliciter* de rebus sibi ignotis  
hominibus loquutos fuisse, & edidisse sonum absq; intelligentia,  
nec auditores quicquam illorum intellexisse, quæ de ventura gra-  
tia vaticinabantur. Non enim Apostolus v. 12. *simpliciter* negat,  
quin Prophetæ sibiipsis & sui temporis hominibus utiliter mini-  
straverint, atq; Ecclesiam ædificaverint; sed *tantum* docere contra  
illos voluit, qui Prophetarum scripta, *nihil ad se pertinere*, sed veteri  
duntaxat populo data esse, credebant, nobis in N. T. quoq; illo-  
rum ministerium utile esse, & quidem maximè, cum omnia illa, quæ  
vaticinati fuerunt prophetæ, ad confirmationem fidei nostræ fa-  
ciant, quòd sit antiquissima, & in hac nihil casu evenerit, sed certo  
Dei consilio, adeò ut de omnibus, prius omnia Prophetæ nos lucu-  
lenter monuerint. Hinc D. Apost. Paul. Rom. 15. v. 4. ait, *omnia,*  
*quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse,* & 1. Cor. 10. v. 11.  
*omnia scripta esse ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt.*  
Doctrinæ itaq; Evangelij, seu voluntatis Dei de salute hominum  
per Christum manifestior quidem & clarior revelatio est in N. T.  
quam in V. T. fuit per Prophetas: illa ipsa tamen Dei voluntas tam  
in V. quam N. T. revelata fuit: siquidem majus & minus non va-  
riant speciem. Deinde status quæstionis rectè observandus est.  
Non enim hic quæritur, *utrum voluntas Dei de hominum salute per Chri-*  
*stum in Evangelio expressa, sit per se mysterium, id enim nemo negat;*  
*sed utrum ὁμολογούμεως magnum illud in N. T. mysterium sit, de quo Pau-*  
*lus 1. Tim. 3. v. 16. agit, quòd hæc Dei voluntas manifestata seu patefacta fue-*  
*rit*



rit per homines infirmos & mortales? hoc ipsum negamus. Nam in se magnum mysterium & quidem in N. T. non est, quod Deus per infirmos & mortales homines opera sua efficiat: hic Dei mos jam à condito mundo notus fuit; at Apostolus de magno mysterio, & quidem extra controversiam, ac omnium piorum confessione magno loquitur, quod à seculis in Deo absconditum, in N. T. verò manifestatum sit. Præterea rectè quoq; obijcit Graverus Photinianis, quod *nullibi* in tota scriptura sacra occurrat locus, in quo de Deo Patre dicatur, quod *in carne* se manifestaverit, aut quod *voluntatem* suam de hominum salute *in carne* patefecerit, ut ita *interpretationem* suam ex scriptura docere nequeant: cum nec *phrasis*, nec *contextus*, nec *collatio aliorum scripturæ dictorum* adversarijs patrocinetur: aliud vero probandi interpretationem genus non detur.

Genera probandi interpretationem aliquam quot sint?

Sed audiamus quid respondeat Smalcus? Primum (inquit) *insufficiens probandi interpretationem aliquam*, generum enumeratio ista triplex censeri potest. Nam datur adhuc quartum, *Analogia religionis*, cum qua, si interpretatio aliqua conveniat, vel ei non repugnet, pro vera proculdubio censenda est. Et hoc sanè scripturas interpretandi genus non est postremum. Non pauca enim occurrunt in sacris literis, quæ nulla simili locutione probari possunt, & tamen verissima esse, ob id ipsum sana dicitur ratio, quia in scripturis sacris habeantur. Hæc ille. Respondeo: Omnem interpretationem scripturæ fidei analogam esse debere, scimus ex Paulo Rom. 12. v. 6. novimus etiam, illam veram esse, quæ sit analogica fidei; at nullam scripturæ interpretationem, quæ fidei analogica sit, dari dicimus, quam non vel ipsa scripturæ phrasis, vel contextus, vel collatio aliorum scripturæ dictorum similium demonstret. Omnis enim interpretatio ex scriptura desumi debet, non in eam introduci, quemadmodum D. Petrus 2. Epist. 1. v. 20. ait. *Nulla prophetia scripturæ sit propriæ interpretationis*, & 1. Epist. 4. v. inquit: *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei*, & Esai. 8. v. 20. *remittimur ad legem & testimonium, secundum quod verbum, qui non dixerint illis non erit matutina lux.* Quæcumq; igitur scripturæ interpretatio, non habet *autoritatem ex scripturis*, eadem facilitate rejicitur, quâ profertur: imò contradictionem implicat, aliquam scripturæ interpretationem fidei analogam & interpretationem dici, quæ cum phrasi & contextu non conveniat. Occurrunt quidem in scriptura non pauca, quæ nulla simili locutione probari possunt, illorum tamen inter-



interpretatio non aliundè, quam ex scopo & circumstantia textus desu-  
mi debet: omittit Smalcus primum & secundum interpretatio-  
nem probandi genus, quod desumitur ex phrasi & ex contextu. Si quis  
verò aliquem scripturæ locum ita explicat, ut cum phrasi & contextu  
explicatio illa non conveniat, etiamsi aliàs cum scriptura non pugnet,  
ille non tam interpretatur locum illum, quàm ut aliud quid cum sacris  
litteris conveniens asserat, idq; ad locum, quem sibi interpretan-  
dum sumsit, ita applicet, ut alienum ipsi affingat sensum, ne videatur  
id asserere, quod aliàs suæ opinioni adversatur, & sic ad opinionem  
suam accommodet. Singulare itaq; & distinctum interpretatio-  
nem aliquam probandi genus, ab illis tribus à Graverio enumeratis,  
fidei Analogia non est.

Sed interpretationem suam etiam ex scripturæ phrasi, con-  
textu & collatione aliorum scripturæ dictorum similium, probare  
conatur Smalcus, & quidem primò ex contextu hoc modo: Deinde  
(inquit) falsum est, nullum ex illis tribus, quæ Graverus recenset, nobis patro-  
trocinari. Quid enim eo, quod nos dicimus, contextus magis suadere potest?  
Dixerat Apostolus, magnum sine controversia esse mysterium pietatis. Hoc ita  
in genere prolatum, declaraturus & per species explicaturus, ait primum, Deum  
manifestatum esse in carne. Nonne verò insigne mysterium est, quod tam per-  
fecta Dei voluntas, qualis sub novo Testamento revelata est, per homines infir-  
mos & mortales, contra quam rationi humanæ videri poterat, revelata sit?  
Nonne hodiè omnes id admiramur, quod per Christum & Apostolos, homines af-  
flictos infirmos & mille mortibus obnoxios, universus ferè mundus Evangelio  
credidit? Hæc ille. Respondeo: Solutio ex parte patet ex supe-  
rioribus. Negamus Apostolum hoc in loco agere de manifesta-  
tione & patefactione voluntatis Dei, & Deum manifestatum esse  
in carne, idem esse, quod voluntas Dei manifestata est per infirmos  
& mortales homines, nondum hoc probavit Smalcus. Paulus de  
ejusmodi manifestatione Dei in carne loquitur, quæ in N. T.  
omnium piorum confessione magnum sit mysterium. At volun-  
tatem Dei de salute hominum per infirmos & mortales homines  
patefactam esse, in N. T. tam magnum mysterium non esse, cum  
etiam in V. T. revelata sit per homines infirmos & mortales, nempe  
Prophetas, paulò ante vidimus.

Quòd autem Christus æternus ille Dei Filius, in mundo ha-  
buerit,

D

buerit,



26 buerit, qui ipsi fidem haberent, & Evangelio crediderint non tantum  
Judæi, sed & gentes, in quarum tamen animis avita superstitio ma-  
jorum altissimas radices egerat, & protinus, relicta idolomania  
Ethnica, ad solam prædicationem crucis, tam coram humana ra-  
tione stultam 1. Cor. 1. v. 21. 23. nimirum de Jesu quodam suspensio  
in Judæa, quod is esset verus Deus, & quod extra illum nemo sal-  
vari posset Act. 4. v. 12. Christianam fidem amplexæ fuerint, ma-  
gnum & ingens *in se & per se*, in N. T. mysterium esse; non verò,  
quatenus illa prædicatio facta est per Apostolos infirmos & mor-  
tales homines, lubens agnoscimus, atq; de hoc ipso Paulum hoc  
in loco agere, quando ait, creditus est (scilicet Deus ille, qui in  
carne manifestatus) in mundo, non negamus. Confundit adver-  
sarius ea, quæ diversa sunt, & sic Elenchum plurium interrogatio-  
num committit.

Deinde ex collatione aliorum scripturæ dictorum similium in-  
terpretationem suam *Smalcus* sic probat: *Nonne (ait) collatio aliorum  
scripturæ dictorum nobis patrocinatur, si licet paulo alijs verbis, idem tamen va-*  
*lentibus dicatur, quod supra etiam annotavimus, Apostolum thesaurum Evangelij*  
*in vasis fictilibus habuisse: & fuisse apud Corinthios in infirmitate & in timore &*  
*et tremore & tamen prædicatione ejus fuisse in ostensione Spiritus & virtutis? Nonne*  
*porro per Christum Pater manifestatus est vel nomen Patris? Certè sic Christus*  
*inquit: Manifestavi nomen suum hominibus &c. At Christus in carne venit,*  
*hoc est circumdatus infirmitate. Ergò in carne, nempe Christi, Deus Pater vel*  
*nomen ejus manifestatum fuit. Verùm hæc omnia, quæ hic dif-*  
*ferit Smalcus, nihil ad rem facere, inde patet, quod verba Pauli*  
*1. Tim. 3. v. 16. Deus manifestatus est in carne, interpretatus sit*  
*per hæc: Deus Pater manifestatus est in carne: annon ergo Smalcus*  
*incumbebat, hanc suam interpretationem ex scriptura probare, &*  
*monstrare locum, ubi scriptura ita loquatur de Patre, quòd sit in carne*  
*manifestatus, vel quòd voluntatem suam de salute hominum pate-*  
*fecerit in carne, ut constaret, locum Pauli de Deo Patre potius,*  
*quàm de Christo intelligendum esse, de quo tamen aliàs scriptura*  
*expresse affirmat, quòd in carne venerit & manifestatus sit, ut dis-*  
*solveret opera Diaboli 1. Joh. 3. v. 8. & 4. v. 2. & 3. ac caro factus*  
*Joh. 1. v. 14. sed Smalcus hinc alia substituit verba, idem, ut ipse ait,*  
*significantia, nempe, Apostolum thesaurum Evangelij in vasis ficti-*  
*libus*



libus habuisse 2. Cor. 4. v. 7. atq; verba Pauli: Deus manifestatus est in carne, *idem* significant, ac thesaurum Evangelij Apostoli habuerunt in vasis fictilibus, cur non mox ab initio per *hæc verba* locum Pauli 1. Tim. 3. v. 16. exposuit *hoc modo*: Deus, id est, thesaurum Evangelij, manifestatus est in carne, hoc est, habuerunt Apostoli in fictilibus vasis? verum contorta hæc explicatio & à textu Pauli prorsus aliena, facile potuisset animadverti: ideoq; maluit *ita* interpretari, ut Deus manifestatus est in carne, sit *idem*, ac voluntas Dei in carne patefacta est. Utrum verò verba Pauli 2. Cor. 4. v. 7. eandem significationem habeant, quam hæc: voluntas Dei patefacta est in carne, ut vult Smalcus, jam non pugno, nec opus est, ut quicquam ad illud respondeam, cum in scriptura verba illa planè non extant, sed tantum hoc dico, Smalcium prius debuisse probare, scripturam *ita* loqui de voluntate Dei, quòd sit patefacta in carne, & Pauli verba 1. Tim. 3. v. 16. Deus manifestatus est in carne, *ita* explicanda esse, postea explicationem suam ulterius declarare & confirmare potuisset per locum 2. Cor. 4. v. 7.

Nec hoc quicquam pro Smalcio facit, quod Christus Joh. 17. v. 6. dicit, se nomen patris manifestasse hominibus: hic enim de manifestatione *in carne*, quaeritur. At Christus (ait Smalcus) *in carne venit*. Quid tum? Ergo scriptura alicubi de Patre dicit, quòd sit manifestatus *in carne*, quia per Christum, qui in carne venit, manifestatus dicitur? quæ consequentia? Christus etiam Deus est: Ergo etiam scriptura alicubi dicit de Deo Patre, quòd sit in Deo manifestatus? probare debebat Smalcus scripturam expressè de Patre *ita* loqui, quòd *in carne* sit manifestatus: hoc enim erat in quaestione.

Pergit adversarius: *Phrasin deniq; nobis non patrocinari, non nisi captiosè dici potest. Nam si constet Vocem Deus, sæpenumero Dei voluntatem, carnem verò homines infirmos & mortales significare, parumné liquet, rectè dici, Deum tunc esse manifestatum in carne, quando voluntas ejus per homines infirmos & mortales revelata fuit?* At nondum constat Smalci, vocem *Deus*, *idem* in scriptura esse, quòd *voluntas* Dei de salute hominum: Ergo adhuc incertum, Paulum loqui de manifestatione voluntatis Dei de hominum salute per infirmos & mortales homines. Et sic hæctenus vidimus, quomodo explicationem suam loci Paulini confirmaverit Smalcus.



Nunc explicationem nostram ex scriptura hoc pacto confirmamus: *Cuiusq[ue] aliàs in toto N. T. immediata manifestatio in carne tribuitur, is etiam hic procul dubio intelligitur, imprimis cum in textu nulla limitatio occurrat, per quam ulla diversitatis ratio demonstrari queat. Atqui aliàs in N. T. immediata manifestatio in carne tribuitur Filio, & non Patri: Ergo etiam procul dubio hic filius intelligitur.* Minor propositio Inductione facile probatur: quædam duntaxat & quidem potissima scripturæ loca adferemus, i. Joh. 4. v. 2. & 3. dicitur de Christo, quod *in carne* venerit: quomodo autem in carne venerit, explicat idem Apostolus i. Epist. 3. v. 8. inquit: *εἰς τὸ ἐφανερωθῆναι ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ*, ad hoc manifestatus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli. Similiter i. Epist. 1. v. 2. de vita æterna (per quam filium notari, apparet ex contextu, similiter ex Evangelio Joh. 1. v. 4. & 1. Joh. 5. v. 1.) testatur, quod sit manifestata. Notari volo, me hac vice nondum quærere, quomodo in carne apparuerit & venerit: sed tantum hoc demonstrare, quis sit ille, qui in carne manifestatus est, postea de qualitate manifestationis agetur. Idem innuere videtur Paulus Rom. 8. v. 3. cum scribit, quod Deus miserit filium suum in similitudine carnis peccati, quod Gal. 4. v. 4. sic refert: misit Deus filium suum factum seu natum ex muliere. Similiter Joh. 1. v. 31. de eodem filio dicitur, quod manifestatus sit Israël, quod gloriam suam manifestaverit Joh. 2. v. 11. Sic etiam Petrus i. Epist. 3. v. 18. dicit de Christo, quod sit mortuus carne & 4. v. 1. quod sit passus in carne. Et quid multis? *Ille procul dubio in carne manifestatus hic intelligitur, qui caro est factus. Atqui Filius Dei seu ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, seu caro factus. Ergo.*

*Exceptio adversarij.* Sed hic Smalcus primò Majorem propositionem nostri syllogismi negat. Dico (inquit) falsissimam esse istam majorem, & nullam prorsus ejus consequentiam: & Graverum non possum non accusare, qui ita dormitavit, dum eam scriberet, ut nec uno eam verbo confirmaret. Nonne enim in alijs locis Filio Dei manifestatio in carne immediata tribui potest: in hoc vero alijs manifestatio mediata. At ego Smalcium non possum non accusare, quod ita dormitavit, ut probationem majoris non viderit, siquidem Graverus non nudè asserit, in loco Pauli i. Tim. 3. propterea per Deum, qui in carne manifestatus dicitur, intelligi Christum, quod alijs in locis expressè manifestatio in carne ipsi tribuatur, sed quia *nulla limitatio* in textu



in textu Paulino occurrat, *per quam ulla diversitatis ratio demonstrari* queat, cur non & hic Pauli locus de Christo potius intelligendus sit, cui aliàs expressè manifestatio in carne in sacris literis tribuitur, quàm de Patre, de quo nullibi scriptura ita loquatur, quòd *in carne* sit manifestatus vel voluntatem suam in carne patefecerit, etiamsi per Christum & Apostolos, qui caro fuerint, hoc est, homines infirmi & mortales, ut loquuntur Photiniani, sit manifestatus, vel voluntas ejus de salute hominum patefacta sit: Interpretatio nostra certè *expressa* nititur *scriptura*; Photinianorum vero *nudis conjecturis*. Nisi igitur rationes proferantur ex textu, quæ manifestè evincunt, non posse hunc locum de Christo accipi, etiamsi aliàs ipsi in scriptura expressè manifestatio *in carne* tribuatur, firma adhuc stabit *major* propositio *Graveri*.

Verum duo hic profert argumenta adversarius, eaq; ut ipse ait, firmissima, quæ non permittunt, hunc locum de Filio accipi posse. Quorum unum est, *quod vox Deus, quando subjecti locum obtinet, us hic sit, nusquam certissimè & extra controversiam Filio tribuatur, Patri autem millies. 2. quòd Deus ille, qui in carne manifestatus fuit, dicitur receptus in gloria, postquam prædicatus fuit gentibus, & creditum illi in mundo. Christus autem in gloria, vel ut alij legunt, in gloriam sursum receptus fuit, antequam gentibus prædicaretur.* Haecenus ille. Respondeo: Argumenta hæc nullius ponderis sunt. Nam *primum* quod attinet, negamus *vocem Deus* quando *subjecti* locum obtinet, *nusquam* Filio tribui, & petit adversarius principium. Nam contrarium testatur hic ipse locus Pauli 1. Tim. 3. v. 16. & Act. 20. v. 28. quæ duo loca de Christo intelligenda esse, nemo negat, nisi Photinianus. An verò, quia Photiniani in controversiam vocant, utrum *vox Deus*, quando *subjecti* locum obtinet, etiam Christo tribuatur, hæc scripturæ loca de Christo intelligi nequeunt, cum tamen ejusmodi in his locis de Deo prædicentur, quæ *nullibi* de Deo Patre; sed de *solo* Filio scriptura affirmat? imò ex parte *ita* se habeant, ut *simpliciter* de Deo Patre dici nequeant; sed tantum de Christo prædicari possint, ut postea videbimus, quando de loco Act. 20. v. 28. nobis erit agendum. Prædicata igitur, cum his in locis soli Christo, scriptura teste, tribuantur, cur non etiam subjectum, nempe vox Deus, *subjecti* locum in illis obtineas? *Secundum* similiter infirmum est. Nam

Argumenta  
adversarij  
contra no-  
stram inter-  
pretationem.

Confutatio.



licet Christus in gloria, sive in gloriam receptus sit, antequam prædicatus fuerit gentibus, quando nimirum sursum receptus est in cælum Marc. 16. v. 19. Act. 1. v. 11. Deus vero ille, qui *in carne* manifestatus est, dicatur receptus in gloria, postquam prædicatus fuerit gentibus, non tamen sequitur, hunc locum de Christo intelligendum non esse. Quis enim *ὕστερολογίως* in sacris literis usitatum esse, ignorat? Neq; etiam de Patre usquam scriptura ita loquitur, sicuti de Christo, quòd sit in gloria receptus, vel de voluntate Patris, quòd in gloria, vel ut Photiniani interpretantur, summa cum gloria recepta sit, ut ita & hic nudis tantum nitantur conjecturis. Deinde, quemadmodum de Patre Photiniani dicunt, quòd sit cum gloria & solemnitate quadam, & cum laude & gratiarum actione receptus (ut hæc ultima verba Pauli falsò exponunt) postquam prædicatus fuerit gentibus: ita & quidem rectius de Christo, de quo *ἀπεσως* scriptura affirmat, quòd gentibus sit prædicatus 1. Cor. 1. v. 23. dicere possemus, quòd cum gloria & gratiarum actione receptus sit, postquam gentibus fuerit prædicatus, ut ita, stante etiam Photinianorum argumento, non sequatur, Pauli locum de Christo intelligendum non esse. Tam firma igitur adversarij argumenta non sunt, ut majorem propositionem *Graveri* infringere possint.

Sed & probationem *Minoris* accusat adversarius, in qua *duplex vitium esse dicit*. Nam, (inquit) 1. *Graverus verba* 1. Joh. 1. v. 2. de Christo accipit, quæ de ipsa vita æterna intelligi posse, articulus neutrius generis, quod, aliquoties iteratus indicat, & ad figuras non esse recurrendum, nisi aliqua cogat necessitas, sobria Theologiæ regula est. Deinde errat, dum verba Rom. 8. v. 3. quod Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati, alibi sic refertur ait, Gal. 4. v. 4. *Misit Deus filium suum factam ex muliere*. Poterat enim Christus, qui ex muliere factus erat, mitti: nec tamen in similitudine carnis peccati, si Deus ita voluisset. Porro frustra adducitur, quod Christus sit manifestatus Israël, Joh. 1. v. 31. Nunc enim de manifestatione in carne sermo est, & Pater etiam manifestatus fuisse, simpliciter legitur, Joh. 17. v. 6. Respondeo: Locum 1. Joh. 1. v. 2. de Christo ipso intelligendum esse, liquet ex contextu. Dicit enim Apostolus, quòd oculis viderint & manibus contrectarint vitam illam æternam: quod ipsum rectè & Christo, & non de ipsa vita æterna intelligitur: & patet etiam ex Evangelio Joh. 1. v. 4. 11. v. 21. 14. v. 6. ubi Christus expresse vita ipsa



ipsa appellatur. Nec contrarium probat articulus neutrius generis,  
 Quod, aliquoties iteratus. Johannes enim *sermone figurato* sic de  
 Christo loquitur, quo ipsum delectari quodammodo tota ipsius  
 scriptio indicio est, ait ipse *Smalcus* infra pag. 17. Neq; etiam errat  
*Graverus* dum verba Rom. 8. v. 3. quod Deus misit filium suum in  
 similitudine carnis peccati, alibi, nempe Gal. 4. v. 4. ita referri ait,  
 Misit Deus filium suum factum ex muliere. In utroq; enim loco  
 de missione Filij in mundum, agitur, & quidem *quomodo* missus fue-  
 rit. Rom. 8. v. 5. ait Apostolus, quod sit missus in similitudine car-  
 nis peccati, hoc est, *ita* missus, ut verè carnem humanam assumse-  
 rit, & verus homo factus sit, adeò ut etiam alijs hominibus pecca-  
 toribus similis visus fuerit, cum tamen ab omni peccato esset alie-  
 nus: sicuti alibi dicitur, quod *in similitudine hominum factus sit, & ha-*  
*bitu inventus ut homo* Phil. 2. v. 7. Subjectus enim fuit propter nos  
 calamitatibus, miserijs & ipsi deniq; morti, ut alius homo: unde  
*sentatus dicitur per omnia juxta similitudinem, absq; tamen peccato* Hebr. 4.  
 v. 15. Idem dicit Apostolus Gal. 4. v. 4. dum ait: *misit Deus Filium*  
*suum factum ex muliere*, hoc est, ita, ut ex ipsa substantia matris secun-  
 dum carnem sit formatus, & verus homo factus, matri & nobis  
 ὁμοιωθῆναι. In hoc saltem aliquid discriminis est, quod Rom. 8.  
 v. 3. Paulus *simul* exprimat calamitates & infirmitates humanas,  
 quibus Christus fuerit subjectus, quo tamen *Graverus* hæc duo loca  
 conjungendo, non respexit, sed ad *principale*, in quo conveniunt.  
 Illud vero *falsissimum* est, Christum *potuisse mitti*, nec tamen in simili-  
 tudine carnis peccati. Etenim, quia per *omnia* fratribus debuit  
 esse *similis*, ut esset misericors & fidelis pontifex in ijs omnibus, quæ  
 apud Deum agenda forent ad expiandum peccata populi: quia  
*sentari* oportuit eum *in omnibus*, juxta *similitudinem*, absq; tamen pec-  
 cato, & sic experientiâ suâ discere, quid sit infirmis succurrere, ut  
 ad *ὀψυχήσας* esset propensior: quia *mori* debuit, ut per *martem*  
 aboleret eum, qui mortis habebat imperium, id est, Diabolum, ut  
 loquitur Epist. ad Hebr. c. 2. v. 14. 17. 18. c. 4. v. 15. quia missus fa-  
 ctus legi subjectus, *ita* ut eos, qui sub lege erunt, redimeret, quem  
 admodum Apostolus Gal. 4. v. 4. mox subjungit, *aliter* certè *mitti*  
*non potuit*, quàm in *similitudine carnis peccati*, hoc est, sic homo fieri  
 debuit, ut simul *nostris infirmitatibus* peccati pœnis, *doloribus* *morti* &

*Utrum Chri-*  
*stus aliter*  
*mitti potue-*  
*rit, quàm in*  
*similitudine*  
*carnis pec-*  
*ti?*

*mala-*





32 *maledictioni legis subiectus esset, & morte sua nos à maledictione legis redimeret Gal. 3. v. 14. Hic enim missionis Filij Dei in mundum finis est.*

Porro frustra non adducitur, quòd Christus Joh. 1. v. 31. dicatur manifestatus Israël: quemadmodum enim antea demonstravit *Graverus phrasin* ἐν σαρκὶ Christo alijs in locis tribui: sic & demonstrare voluit, *verbum* illud ἐφανερώθη, quo Paulus utitur in loco 1. Tim. 3. v. 16. de Christo alibi quoq; legi. Quòd si *Smalcus* probare poterit, de Patre non tantum legi, quod sit *manifestatus*, sed etiam, quòd *in carne* venerit & manifestatus sit, sicut de Christo *expresse* scriptura loquitur, concedam ipsi, de Deo Patre locum Pauli 1. Tim. 3. v. 16. intelligi posse. Sed non poterit, certus sum. Verba Joh. 1. v. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, etiamsi convertantur, *verbum* caro fuit, ut volunt Photiniani, nihilominus tamen sequi, Christum in carne manifestatum esse, concedit hic *Smalcus* ipsemet. Firma itaq; stat *Minor* quoq; propositio. Conclusioni ergo, quid deerit? Per *Vocabulum* igitur *Deus* in loco Pauli Christus intelligitur, atq; sic *vox Deus*, quando *subiecti* locum in enunciatione obtinet, ipsi tribuitur, quòd erat probandum. Unde sequitur Filium Dei verum & æternum Deum esse, & ab æterno extitisse, in tempore verò in carne manifestatum esse.

*Quomodo Filius Dei in carne manifestatus sit?* Quomodo autem in carne manifestatus sit, explicat locus ille Joh. 1. v. 13. ὁ λόγος unigenitus Dei Filius σὰρξ ἐγένετο caro seu homo factus est. Sed obijciunt Photiniani *verbum ἐγένετο non de bere verbi factus est; sed fuit, nempe ὁ λόγος fuit caro.* Sic enim *vocabulum hoc accipi v. 6. ejusdem capitis: ἐγένετο ἄνθρωπος* *Job. 1. v. 14. παρὰ Θεοῦ fuit homo missus à Deo. Similiter Luc. 24. v. 19. ὁ ἐγένετο ἀνὴρ Πρωφῆτης, qui fuit seu erat Propheta.* Hæc Catechism. pag. 108. 109. *Socin. in Refut. Bellam. & Wieki p. 328. Franciscus Davidis in Colloq. Transylv. act. diei 9. lit. g. ult. f. b. sic locum hunc interpretatur, ut ὁ λόγος caro factus est, ipsi idem sit, ac abjectus & humilis factus est: & hanc vocabuli carnis significationem probat ex Psa. 78. & Esai. 40. cap. atq; ita horum verborum sensum hunc esse putat: Filius Dei, qui fuit Deus ob munus, factus est humilis & abjectus, quando passus est: quemadmodum etiam alibi dicitur, Chri-*





Christum, qui in forma Dei fuit, assumfisse formam servi Phil. 2. v. 6. & cum dives esset, pauperem esse factum 2. Cor. 8. v. 9. Hanc interpretationem vocabuli carnis urgent etiam reliqui Photiniani, & hic quoq; Smalcus.

33

Responderat ad utrumq; *Grauerus* in disputatione sua i. concedendo, verbum ἐϋπέετ posse quandoq; verti per fuit & extitit (ita tamen ut fieri praesupponat, aliàs enim usurpari vocem ἦν, cum absolute existere significat, semper autem ita reddi debere falsum esse, ut testantur loca Joh. 1. v. 3. & 2. v. 19. sicuti & alia complura. *Carnem* quoq; in sacris literis interdum significare rem humilem, & abjectam: attamen non semper ita usurpari; sed quandoq; per Synechdochen partis pro toto significare ipsam humanam naturam & hominem, veluti Matth. 22. v. 22. Marc. 13. v. 20. Luc. 3. v. 6. Act. 2. v. 13. Cum itaq; vocabulum *carnis* in sacris literis non semper significet rem humilem & abjectam, sed quandoq; humanam naturam vel hominem, quandoq; partem hominis ut Luc. 24. v. 19. probare debuisset adversarios, hoc loco non nisi rem humilem & abjectam significare, & non nudè asserere. Loca à Francisco Davidis objecta ex Epist. ad Phil. & Corinth. nihil ad rem facere, esse aliena, siquidem de *exinanitione & humiliatione* ea ἀπέσως loqui, expressæ determinationes, quales in textu Johanneo non occurrunt, evincere.

*Confutatio.*

Ad hæc quid *Smalcus*? *Hæc responsio Graueri* (inquit) *ingentis ignorantie vel incogitantie ipsum convincit. Facit enim ex nobis respondentibus argumentantes & actores. Non nos nunc sumus, qui dicimus, verba Iobannis ἡγὸς ὁ λόγος οὐδέ ἐϋπέετ ita convertenda esse, & sermo ille caro fuit, sed vos estis, qui verba illa isto modo convertitis, & verbum caro factum est, & ex eo dogma istud monstruosum incarnationis filij Dei probare nitimini. Nos repulsuri vestrum hoc argumentum, primum dicimus, aliter ista verba converti posse. Quod si verum sit, vestra interpretatio & dogma, quæ ista interpretatione nititur, corruat necesse est. Hæc ille. Verum falsissimum esse dico, quòd Grauerus ex Photinianis respondentibus faciat argumentantes & actores. Ipsi namq; revera respondentes non sunt. Nos enim non sumus, qui illorum dogmata jam impugnamus, sed nostra contra ipsos defendimus: ipsi verò nihil aliud agunt, quam ut ea impugnent, non quidem firmis argumentis, sed frivolis*

E exce-



exceptiunculis, atq; ita, quæ à Spiritu Sancto & Apostolis benè extracta sunt, destruant. Is autem, qui alterius sententiam impugnare & evertere annitur, non respondentis, sed certè opponentis partes sustinet. Sed esto, quòd jam respondentes sint, & nos argumentantes & actores: annè vero respondentis est, saltem *quoquo modo* adversarij argumenta *eludere*, quemadmodum hìc faciunt Photiniani? Cùm enim Incarnationem æterni Dei Filij, magnum illud pietatis & Christianæ religionis mysterium, & non dogma monstruosum, ut illud appellare non erubescit *Smalcus*, inter alia etiam ex verbis Joh. I. v. 14. ὁ λόγος unigenitus Dei Filius ὁ ἔσθ' ἐν ὧς, probamus, *eludunt* nostrum hoc argumentum dicentes, vocabulum *Carnis* interdum significare rem humilem & abjectam, ideoq; horum verborum sensum esse posse, ὁ λόγος factus est, vel fuit humilis & abjectus, & sic se satis sententiam nostram refutasse autumant. At hæc frivola sunt, nec ejusmodi, quæ cordatum movere possint, ut sententiam suam, hæctenus piè professam deserat, & in castra Photinianorum eat. Nam licet non negemus *vocem carnis* quandoq; significare rem humilem & abjectam, interim tamen nondum sequi dicimus, quòd *hoc in loco* illam tantum significationem habeat, cùm *vocabulum carnis* frequentius & *proprie* substantiam significet; infirmitatem & abjectionem *improprie* & quadam metonymiâ, quam significationem *proprie* meritò hìc quoq; retinemus & *sam diu* urgemus, *donec* improprie illam hoc in loco tantum locum habere posse, Photiniani probent, positâ quoq; propriâ significatione vocabuli carnis, vox ἐν ὧς rectiùs per factus est, quàm per fuit, vertitur. Hoc igitur dum facimus, nemo non videt, jam Photinianis incumbere, ut rationem adferant, cur *vox carnis tantum* infirmitatem & humilitatem hominis hìc significet, & non etiam *ipsam naturam* humanam vel hominem, si nostrum infringere velint argumentum. Et hoc ipsum est, quod tantum hìc urget *Grauerus*: quomodo igitur responsio ipsius vel inscitiae vel ignorantiae ipsum convincit? ut nugatur adversarius.

Sed jam rationem profert *Smalcus*, Verba Johannis ita explicanda esse, ut volunt Photiniani. *Quia* (inquit) *nimis absurdum esset, Iohannem posteaquam multa enumerasset, quæ Christus in mundo existens, fecerit, demum dicere, eum esse natum.* Egregia sanè ratio. Quasi  
verò



verò Johannes quædam enumerare non posset, quæ Christus in mundo jam existens fecerit, & postea demùm dicere, eum hominem esse factum, idq; per figuram *ὁσέρις* *ωσέρις*, quæ in sacra scriptura usitatissima, præsertim apud Evangelistas, ut apparet in descriptione tentationis Christi facta in deserto Matth. 4. & Luc. 4. si collatio instituat, & ex narratione miraculosæ trajectionis & agnitionis ejus miraculi Joh. 6. Prius enim narratur, quòd vulgus, repertâ prope Capernaum unicâ naviculâ, in qua soli Apostoli sine Christo transfretaverant, animadverterit & miratum sit, Christum sine navi ultra stagnum venisse, quàm quòd vulgus eum sit consequutum, aut ultra stagnum repererit, ut plura alia taceam.

Verùm excipit Smalcus: *Figuram ὁσέρις ωσέρις interdum quidem dari, sed & raro & ralem, quam quis per se deprehendere & facile judicare potest. Tam verò insolentem D. Iohanni affingere, esse Spiritui S. detrabere. Nec enim unum aliquod verbum, vel rem unam atq; alteram dixisse Iohannem, antequam addat hæc verba, quæ nos de nativitate interpretamur, sed valde multa, imò ea & tot, quæ compendium quoddam sunt universi Evangelij, quòd scilicet Iohannes Baptista sit de eo testatus, quòd omnem hominem illuminarit in mundum veniens, quòd in mundo fuerit, quòd mundus per eum factus sit, quòd mundus & proprij eam non cognoverint, quòd Ihs, qui eum cognoverant, & in nomen ejus crediderant, dederit potestatem, ut filij Dei fierent. Post hæc tam multa, non nisi stultè & ridiculè demùm nativitatù mentionem fieri potuisse.* Hæc ille. Respondeo: Non nos certè, sed Photiniani ipsi insolentem *ὁσέρις* *ωσέρις* figuram D. Iohanni affingunt. Nam ferè omnia, paucis exceptis, quæ hic enumerat Smalcus, quemadmodum & alia, nempe, quòd omnia per Christum facta sint, & ut lux in tenebris luxerit, tenebræ verò ipsum non comprehenderint, de quibus Johannes v. 3. & 5. agit, secundum Photinianos non prius facta sunt, quàm Christus in mundum venit, & munus suum obiit. At quam primum illud suum munus exorsus, etiam cum discipulis conversari cœpit. Quare etiam hæc omnia, postquam jam conversari cœpit cum discipulis, facta sunt: quòd ipsum quoq; alijs adversarius negare nequit, si quidem hæc omnia, quæ ex Johanne hic enumerat, dicit compendium quoddam esse totius Evangelij. Johannes verò de conversatione seu habitatione inter discipulos demùm v. 14. agit, cum inquit: & habitavit in nobis, quæ



36 verba de conversatione cum discipulis interpretantur Photiniani. Secundum ipsos igitur stultè & ridiculè fecit Johannes, quòd posthac tàm multa demùm conversationis Christi cum discipulis mentionem fecerit.

Interpreta-  
tio nostra lo-  
ei Joh. 1.  
v. 14.

E contrariò nos textum Johannis ita interpretamur, ut dica-  
mus, Evangelistam à v. 14. agere de *divina* Christi *natura*, quòd  
nempe ut verus Deus fuerit in principio apud Deum v. 1. & 2. omnia  
per ipsum facta sint, & quòd in ipso sit vita, & vita illa lux homi-  
num, & lux ista in tenebris luceat &c. v. 3. 4. 5. atq; *hac occasione*,  
quòd Christum vocet lucem hominum, *quadam* de Johanne Bapti-  
sta *admiscere*, quòd scilicet ipse non sit lux illa, sed testimonium tan-  
tùm de illa luce perhibeat, & *pauca alia*, nimirum, quòd etiam si  
Christus sit lux illuminans omnem hominem, ad sua tamen veniens,  
sui eum non exceperint, illis autem, qui ipsum exceperint, dedisse  
potestatem filios Dei fieri, idq; *eum in sinem*, ut eo melius explicare-  
tur id, quòd Christum lucem appellarat. Hoc ipsum verò non esse  
insolens apud Johannem apparet ex 7. cap. ubi narrationi de missis  
& reversis satellitibus ea admiscetur, quæ postea ultimo demùm  
festi die gesta sunt: *in ultimo autem die magno clamavit Iesus &c.* v. 37.  
De *humana* autem *natura* Christi tandem Evangelistam agere dici-  
mus v. 14. quando ait, quòd ὁ λόγος unigenitus ille Dei Filius, qui  
ut in principio fuerit verus Deus apud Deum scilicet Patrem &c.  
ita in tempore οὐρξ ἐψρεῖ, caro seu homo factus sit, & habitaverit  
inter homines & viderint gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti  
à Patre. Quis verò hic non videt, hæc omnia ita collocata, benè  
coherere, nec quicquam absurdi inde sequi? Neq; enim *multa*; sed  
*per pauca* sunt, quæ Johannes *occasione illa*, ut diximus, hic enumerat,  
licet facta sint, antequam Christus οὐρξ ἐψρεῖ, id est caro seu ho-  
mo factus: nempe, quòd de ipso sit testatus Johannes, & Christus  
ut lux hominum à suis non sit exceptus, illis vero, qui ipsum exce-  
perint, dedisse potestatem filios Dei fieri. Tale autem quid D. Jo-  
hanni tribuere, non est Spiritui Sancto detrahere, ipsis etiam Pho-  
tinianis testibus: siquidem & ipsi, & quidem in hoc ipso textu, Jo-  
hanni talem ὁρξ ἐψρεῖ figuram attribuunt. Quæ enim Jo-  
hannes à v. 3. usq; ad v. 9. habet, ut quòd per Christum omnia facta  
sint, hoc est, ut illi interpretantur, nova facta sint, quòd ut lux ho-  
minum



minum in tenebris luxerit, & tenebræ ipsum non comprehenderint, quòd de ipso testatus sit Johannes Baptista, tùm demùm facta esse dicunt, postquam in mundum venit, hoc est, ut illi volunt, munus suum obijt. At Johannes v. 9. secundum ipsos primum dicit, Christum in mundum venisse. Quicquid igitur nobis hic obijciunt Photiniani, non nos, sed Photinianos ipsos ferit.

Sed verum ὕστερον ἄρον exemplum esse descriptionem illam tentationis Christi factæ in deserto Matth. 4. & Luc. 4. si collatio instituat, negat Smalcus. Ait enim ex collatione locorum Matth. 4. & Luc. 4. tantùm apparere, diverso ordine duos scriptores, ea, quæ Christo accederunt descripsisse: non constare autem uter illorum recto ordine istas tentationes descripsit: At in ὕστερον ἄρον præsumi, quòd constet, res alio ordine describi, quam revera gestæ sunt. Hæc ille. Respondeo: Omnia hæc confirmant potius, nostrum hoc exemplum, verum ὕστερον ἄρον exemplum esse, quàm ut evertant. Quia enim diverso ordine Matth. & Lucas tentationes Christi descripserunt, sequitur, vel Matth. vel Lucam prius posuisse ea, quæ posterius erant ponenda per ὕστερον ἄρον scilicet. Nec quicquam ad rem, quod obijcit adversarius, non constare, uter illorum recto ordine istas tentationes describat. Nam licet hoc certo non constet, præsumitur tamen, unum ex illis, vel Matth. vel Luc. ordinem non observasse, sed per ὕστερον ἄρον, ea quæ priori loco ponenda erant, posteriori potuisse, id quod sufficit.

Ad illa, quæ ad loca Phil. 2. & 1. Cor. 8. à Francisco Davidis allata, responderat Grauerus, nihil aliud dicit Smalcus, quam ea esse frigida. At hoc non est refutare adversarium; sed potius ipsum contemnere.

Quòd vero vox carnis Joh. i. v. 14. ipsam naturam humanam seu hominem significet, & verbum ἐϋϋετο non per fuit; sed factus est, verti debeat, patet ex ipso contextu. Non enim Evangelista simpliciter dicit, ὁ λόγος σὰρξ ἐϋϋετο, sed quod ita σὰρξ ἐϋϋετο, ut habitavit inter homines, & viderint gloriam ejus, non vulgarem; sed tanquam unigeniti à Patre. Quicunq; vero ita σὰρξ ἐϋϋετο, ut habitavit inter homines, & viderint gloriam ejus, non vulgarem; sed tanquam unigeniti à Patre, is rectè dicitur non fuisse caro id est, humilis & abjectus; sed factus caro, id est homo. Confirmatio nostra interpretationis.





38 enim *quatenus* homo, & quidem non vulgaris; non verò, *quatenus* humilis & abjectus est, dicitur habitare inter homines, *ita* ut videant gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Deo Patre. Atqui ὁ λόγος *ita* σαὶρξ ἐγένετο. E.

Deinde interpretationem nostram veram esse, convenienter etiam ex illis scripturæ locis, in quibus de hac *eadem materia* agitur, probare possumus. Quid enim sibi velit Johannes, quando inquit, ὁ λόγος σαὶρξ ἐγένετο, & quomodo vox ἐγένετο sit convertenda, apparet ex loco Pauli Gal. 4. v. 4. quando scribit, Filium Dei γενόμενον ἐκ γυναικὸς factum seu natum ex muliere, & Rom. 1. v. 3. Filium Dei γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, factum ex semine Davidis. Ex his, inquam, apparet, verbum ἐγένετο, non per fuit, sed factum, reddendum esse: quòd si adhuc dubitant, hæc loca æquipollere, majoris certitudinis gratia adjungatur evidentissimus lo-

**Locus III.** cūs Ebr. 2. v. 14. μετῴχεσθε particeps factus est carnis & sanguinis: ex  
**Ebr. 2. v. 16.** quibus insuper & hoc colligitur, per *carnem* in verbis Johannis nihil aliud intelligi, quam humanam naturam. Maximè verò illustrat nostram sententiam v. 16. non utiq; Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit: quibus verbis Apostolus indicat, quòd filius Dei particeps sit factus carnis & sanguinis, assumptione nimirum seminis Abrahæ.

At posteriorem hanc argumentationem puerilem esse dicit **Smalcus.** Quæ enim (ait) *vñ consequentiæ*: alibi dicitur, Iesum esse factum ex muliere & ex semine Davidis, ergò in verbis Ioh. 1. v. 14. vox ἐγένετο reddenda per factum est. Nonne supra concessit Grauerus, vocem ἐγένετο alibi converti non tantum posse, sed etiam debere per fuit? Ergò si bona est argumentatio Graueri, nostra etiam bona erit, & sic suam deserere cogetur Grauerus. Nonne verò utrumq; simul verum esse potest, quòd scilicet Christus sit ex muliere & ex semine Davidis factus, & tamen caro fuerit? imò hoc consequens quoddam necessarium illius est. Hæc Smalcus. Respondeo: adversarius mentem Graueri pervertit: Sic enim ille non concludit, ut hic fingit Smalcus. Hæc Graueri mens est: quia in locis citatis de una eademq; agitur materia: ideoq; unum ex altero rectè quoq; explicari non tantum posse, sed etiam debere, cum de similibus idem sit iudicium. Agitur autem in omnibus de natura humana

Filij



39

Filij Dei, quod negari nequit. Nam Joh. i. v. 14. Evangelista describit Filium Dei, ut in mundum veniens habitaret inter homines nempe *quatenus σαρκὶ ἐγένετο*, quemadmodum antea v. i. 2. 3. ipsum descriperat, ut fuerat in principio apud Deum, nempe Deus. Quomodo vero in mundum veniens *σαρκὶ ἐγένετο*, explicat Paulus Gal. 4. v. 4. misit Deus Filium suum factum ex muliere, & Rom. i. v. 3. factus (filius Dei) ex semine Davidis καὶ σαρκὶ, Hebr. 2. v. 14. μετὰ particeps factus carnis & sanguinis. Ex his thesi 40. sic concludit: *Quicumq; ita σαρκὶ ἐγένετο*, ut sit factus ex muliere, & semine Davidis, particeps factus carnis & sanguinis, sicut pueri communicarunt carni & sanguini, & assumerit semen Abrahamæ, is rectè dicitur non fuisse caro, id est humilis & abjectus, sed factus caro, id est homo. Atqui λόγος ita σαρκὶ ἐγένετο. Ergò. Notandum autem hic, quòd *Smalcus* argumentationem suam, quâ supra contra nos usus fuit, *puerilem* esse, ipse agnoscat. *Graueri* enim argumentationi similem esse, confitetur his verbis: Si *Graueri bona est*, *nostra etiam bona erit. At Graueri bona non est; sed puerilis*, ut ait *Smalcus*: Ergò & *Smalcij* bona non est; sed *puerilis*: & tamen illa nostrum vult evertere argumentum: imò dogma Incarnationis hisce & similibus planè destruere conantur Photiniani: nam firmis aliàs argumentis prorsus destituuntur.

Deinde videtur sibi etiam contradicere. Supra enim asseruit, Filium Dei, qui erat factus ex muliere, potuisse mitti, nec tamen in similitudine carnis peccati, si ita Deus voluisset: hic vero ait, quod, carnem esse, sit necessarium consequens illius, qui ex muliere factus est. Esse verò carnem, *Smalcio* nihil aliud est, quàm esse humilem & abjectum, calamitatibus, doloribus & miserijs humanis, quæ sunt pœnæ peccati, subjectum. Videatur Catechism. pag. 109. Hinc concludo: *Quicumq;* ex muliere factus, is eo ipso, quo ex muliere factus est, necessariò quoq; subjectus est calamitatibus & miserijs humanis peccati pœnis. Hoc enim *necessarium consequens* illius est, qui ex muliere factus est. *Nunquam* autem *necessarium consequens* abesse potest à suo *antecedente*: implicat namq; manifestam contradictionem. Atqui Filius Dei factus est ex muliere. Ergò Filius Dei, eo ipso, quo ex muliere factus est, *necessariò* quoq; subjectus



jectus est calamitatibus & miserijs humanis peccati pœnis. Major *Smalcij* est: Minor *Pauli*. Conclusio verò apertè contradicere videtur superiori assertioni *Smalcij*, nempe, *Filium Dei*, jam ex muliere factum, potuisse mitti, & tamen non in similitudine carnis peccati, hoc est, non subjectum calamitatibus & miserijs humanis, peccati pœnis. Mitti enim in similitudine carnis peccati, nihil aliud est, quàm calamitatibus & miserijs humanis, peccati pœnis, subjectum esse. Nec juvat *Smalcium*, quod ait, si ita Deus voluisset. Deus enim ea, quæ contradictionem implicant, non vult; sic enim vellet mendacium, quod de Deo asserere, magnæ impietatis est. At antecedens ut antecedens esse posse absq; suo consequente, contradictionem implicat. Ergò. Est quidem necessarium consequens hominis peccato obnoxij, doloribus & miserijs humanis, peccati pœnis, esse subjectum; sed non hominis, quâ hominis: aliàs etiam Christus ex necessitate nature doloribus & miserijs humanis peccati pœnis fuisset subjectus, quod impium & blasphemum: Sic enim peccato tanquam culpæ fuisset obnoxius, & nihil nobis passione sua profuisset, cum tamen fuerit absq; peccato Hebr. 4. v. 15. & omnia, quæ sustinuit, propter nos nostramq; salutem sustinuerit. 2. Cor. 5. v. 28. 8, v. 9. Gal. 3. v. 13. 4, v. 5. Hebr. 2. v. 14. 15. Conciliet igitur *Smalcus*, ego progredior.

Contra locum Hebr. 2. v. 14. varia obijcit adversarius, primùm ait, illum majoris certitudinis causa adjungi, & evidentissimum appellari non posse, cum is potius ad evertendum dogma Incarnationis aptissimus sit. Cur vero? Nam (inquit) Si participare carnem & sanguinem, est naturam humanam assumere, vel hominem fieri, sequeretur, pueros, hoc est, fideles Iesu Christi humanam etiam naturam assumpsisse, & homines factos fuisse. Tam enim de illis dicitur, quòd communicarint carni & sanguini, ut de Christo, quòd eadem participarit. Hæc ille. Respondeo: Apostolus de Christo utitur verbo μετέχε non κοινωνήκε innuens, non modo communem cum pueris habere naturam, sed ejus quasi partem accepisse, id quod v. 16. declarat, docens, quomodo & unde carnem & sanguinem acceperit, nempe ex semine Abrahamæ: non enim utiq; Angelos (inquit) assumpsit, sed semen Abrahamæ assumpsit. Aliter igitur hîc loquitur Apostolus de pueris, & aliter de Christo. De pueris dicit, quòd communicent seu communionem habeant cum carne & sanguine, hoc est veri homines sint ex carne & sanguine vera scilicet natura huma-



humana, compositi; de Christo verò, quòd *particeps sit* factus carnis & sanguinis, consimiliter ut pueri, nempe eandem cum ipsis habeat naturam, unde per omnia fratribus dicitur esse similis v. 17. & quidem *ita*, ut illam ex semine Abrahamæ *assumerit*, puta nascendo ex Maria virgine Abrahamæ filia. Unde sequitur, Filium Dei *antea extitisse* & *revera fuisse*, quàm humanam naturam ex familia Abrahamæ assumeret: *assumere enim actio* illius est, qui *jam* existit: quòd ipsum, nos ad absurdum deducendo hìc refutare voluit *Smalcius*; sed frustra; siquidem de pueris simpliciter tantum dicit Apostolus, quòd communicarint carni & sanguini; de Christo verò quòd *assumendo* eam ex semine Abrahamæ participavit.

Sed excipit adversarius: *nullam in v. 16. mentionem fieri ejus, quòd aliquis ante Christum natum semen Abrahamæ assumerit, sed de homine Iesu jam ex Maria nato id dici.* *Exceptio ad- vers:*  
Respondeo: Licet *expresse* mentio non fiat ejus, quòd Filius Dei *prius* extiterit, antequam semen Abrahamæ, sive naturam humanam ex familia Abrahamæ assumeret, tamen id *aperte* ex Apostoli verbis colligi potest, ut jam vidimus. Nec obstat, quòd hæc dicantur de Iesu jam homine ex Maria virgine nato. Vocat enim Apostolus *ideo* Filium Dei Jesum, quia *tunc* quando hæc scriberet, *jam factus* seu *natus* erat homo. Deinde propter personæ *unitatem*, quem Filium Dei appellarat, postea Jesum nominat, ne quis existimaret, *aliam* esse personam Filium illum Dei, per quem c. 1. v. 2. secula condita fuisse dixerat, & quòd esset *πρωτογενitus τῆς δόξης καὶ καθεστῆτος τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* v. 3. atq; præstantior Angelis, ita ut eum etiam adorent. v. 4, 6, ab illo qui in tempore ex Maria virgine natus, & Iesus appellatus fuit, & inferior Angelis factus propter mortis perpeffionem c. 2. v. 9; sed *unam eandemq;* esse personam, *unum eandemq;* Dei Filium, per quem secula condita, & qui in tempore Abrahamæ semen assumpsit ex Maria virgine Abrahamæ filiâ, & verus homo factus & natus fuit, idq; *propterea*, ut *mori* posset, & per mortem aboleret eam, qui mortis habebat imperium, nempe Diabolum, v. 14.

Confutatio

2. Objicit: *Nullam hic etiam fieri mentionem naturæ humanæ.* *Re- Exceptio:*  
Spondeo: Etiam si nec *expresse* mentio fiat humanæ naturæ, idem tamen inquit Apostolus, quando ait: non *Angelos assumpsit, sed semen Abrahamæ assumpsit.* *Confutatio:*  
Regerit: *Semen Abrahamæ non esse homines quæ homines,*  
F, *Sed*





*sed qua fideles* : idq; probat ex Gal. 3. v. 30. *Si autem Christi estis, semen Abrahamæ estis, & secundum promissionem heredes, & Rom. 4. v. 12. ubi Abraham vocatur Pater omnium credentium.* Respondeo : Per *Semen A-* semen Abrahamæ in scripturâ interdum intelligi fideles non negamus, *brabæ quid* sed non tantum. Quandoq; enim, & quidem propriè semen Abra- *significet in* hæ significat homines, quatenus sunt ex semine seu carnali posteri- *scriptura?* tate Abrahamæ progeniti, ut Joh. 8. v. 37, ubi Christus Judæis dicit: Scio vos semen Abrahamæ esse, & Paulus Rom. 9. v. 7. inquit: Neq; quia semen Abrahami, ideò omnes sunt filij: propter Christum, verò, qui est semen illud benedictum Abrahamæ promissum, omnes credentes in Christum sunt & dicuntur semen Abrahamæ, quia omnes sunt membra Christi. Confer v. 16. 28. 29. Gal. 3.

Deinde, ambiguum illud est, quod ait *Smalcus: semen Abrahamæ non esse homines, qua homines, sed qua fideles.* Vel enim hoc vult, *semen Abrahamæ in loco Hebr. 2. v. 16. significare fideles, qua fideles, & sic nihil ad rem dicit, sed principium petit, siquidem hoc ipsum in quæstione est, utrum hoc in loco, semen Abrahamæ significet fideles? vel illud, semen Abrahamæ nunquam esse homines, qua homines, ex carnali scilicet Abrahami posteritate progenitos; sed tantum fideles, qua fideles, ut verba ad marginem pag. 12. addita innuere videntur, & sic apertè contradicit Christo Joh. 8. v. 37. & Paulo Rom. 9. v. 7. qui negant, ideò, quia semen Abrahami sunt, esse Abrahami filios, hoc est fideles. Filij enim Abrahami sunt, qui incedunt vestigijs fidei patris Abrahami Rom. 4. v. 12. imò Christus non esset semen Abrahamæ, qua homo, sed qua fidelis, quod absurdum. Quòd autem, per semen Abrahamæ hic intelligatur natura humana, quam Christus ex familia Abrahamæ, nascendo ex Maria virgine Abrahamæ filia, assumerit, liquet ex ipso contextu. Non enim Filius Dei simpliciter dicitur Abrahamæ semen assumere, sed ita, ut per hanc assumptionem fiat particeps carnis & sanguinis, & hominibus, tanquam fratribus per omnia, peccato excepto, similis. Quicumq; verò ita semen Abrahamæ dicitur assumere, ut per illam assumptionem fiat particeps carnis & sanguinis, & hominibus, tanquam fratribus per omnia, excepto peccato, similis, is rectè dicitur assumere humanam naturam ex familia Abrahamæ. Christus ita dicitur assumere semen Abrahamæ. Ergò. Hinc Gal. 3. v. 16. à Paulo appellatur expressè semen Abrahamæ, & quod si*



fit ex patribus. ( & sic ex Abrahamo seu semine Abrahami ) 43.  
*σπίρα* Rom. 9. v. 5. factus ex semine Dividis *σπίρα* Rom. 1. v. 3.  
Semen mulieris Gen. 3. v. 15. Excipit *Smalcus*: *Semen Abrahamæ Christi- Exceptio.*  
*stum dici, concedi posse; at semen mulieris, ubi dicatur disertè, se hactenus nec le-*  
*gisse, nec ab alijs id demonstrari vidisse aut audivisse.* Deinde, ait, si *Chri-*  
*stus semen Abrahamæ est, & voces semen Abrahamæ nihil aliud significant, quam*  
*Christum, quæ negatio erit, si dicatur, quòd Christus non Angelos, sed semen*  
*Abrahamæ assumpsit? Idem enim erit, ac si dictum esset, Christum assumpsisse Chri-*  
*stum. Et si idem est, semen Abrahamæ esse, & semen mulieris, sequitur pariter,*  
*Christum semen mulieris assumpsisse? Hactenus ille. Respondeo: Semen Confutatio.*  
*Abrahamæ Christus non tantum dici potest; sed etiam debet, quia id*  
*apertè extat apud Paulum Gal. 3. v. 16. Semen vero mulieris Christum*  
*esse & dici in sacra scriptura, nempe Gen. 3. v. 15, ubi dicitur, se-*  
*men mulieris conteret caput serpentis, nec ipse Smalcus negare*  
*potest. Solus enim Christus est, qui contrivit caput serpentis, hoc*  
*est Diaboli, qui serpens ille antiquus appellatur Apoc. 12. v. 9. Nam*  
*ad hoc patefactus est Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli, 1. Joh.*  
*3. v. 8. Et si verò fractus divini hujus operis, quo Diaboli caput quas-*  
*fatum & comminutum est, ad Christianos pertinet, tamen opus ipsum*  
*conterendi caput Diaboli, nobis competere, nunquam evincet Smal-*  
*cus. Quòd autem in scriptura expressè ita non legatur: Christus*  
*est semen mulieris, inde tamen non sequitur, quòd prorsus in scriptura*  
*semen mulieris non dicatur: nec in scriptura expressè legitur, Christus*  
*est Filius hominis: Ergone in scriptura Christus filius hominis non*  
*dicitur? absurdum. Sufficit igitur, quòd ex attributo apertè colli-*  
*gi possit, per semen mulieris Gen. 3. v. 15. non nisi Christum intelligi.*  
*Unde Paulus Gal. 4. v. 4. 5. ait: Ubi venit plenitudo temporis*  
*emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege: ut*  
*eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum recipe-*  
*remus: quibus verbis procul dubio ad primam illam promissio-*  
*nem de semine contrituro caput serpentis, primis nostris parenti-*  
*bus factam, respicit.*

Deinde ineptissimè colligit *Smalcus* ex eo, quòd cum Paulo  
dicimus, Christum esse *semen Abrahamæ*, propterea, quòd fit ex semine  
Abrahamæ *σπίρα*, & semen illud benedictum Abrahamæ promissum,  
voces *semen Abrahamæ* nihil aliud significare, quam Christum. Cur  
non



non & sic Smalci: Paulus semen Abrahamæ est, 2. Cor. ii. v. 22. E. voces semen Abrahamæ idem sunt, quod Paulus. Homo animal est. Ergo voces animal esse, nihil aliud significant, quam hominem esse? nugæ. Certè non video, cui se hîc opponat Smalcius, nisi ipsi Paulo. Nec enim *Grauerus*, nec quisquam alius tam absurdus est, ut dicat, voces *semen Abrahamæ*, nihil aliud significare, quam Christum; sed quia expressè Christus dicitur semen Abrahamæ, & ex patribus (atq; ita ex semine Abrahamæ) esse, ex semine Davidis factus, ideoq; hoc *Grauerus* tantum urget, verba Hebr. 2. v. 16. (Christus) semen Abrahamæ assumpsit, propriè & secundum literam intelligenda esse, cum non repugnet scripturæ, sed maximè cum illa consentiat, Christum propriè semen Abrahamæ, id est, naturam humanam ex familia Abrahamæ assumpsisse, & ita hominem factum esse. Præterea absurdum non est, ut putat *Smalcius*, si dicatur, Christum *assumpsisse semen mulieris*, quia humanam naturam ex semine Mariæ virginis, virtute Spiritus Sancti, assumpsit. Nihil itaq; hisce suis sophisticationibus contra nos efficit adversarius.

*Instantia.*

Instat: *Semen Abrahamæ Hebr. 2. v. 16. idem esse cum illis, quos supra idem autor. jam filios Dei, jam sanctificatos, jam Christi fratres, jam ejus pueros, datos illi à Deo, appellarat, & quos inferius populum Dei, & eos, qui tentantur appellat.*

*Responsio.*

Respondeo: Negamus hoc, neq; id probat adversarius, an putat, nos nudis suis dictis fidem habituros? Per *filios Dei, sanctificatos &c.* intelligi fideles, non tantum contextus, sed & ipsæ voces innuunt. Per *semen* vero Abrahamæ fideles intelligi, nec ipsum requirit vocabulum, cum per se & propriè significet carnalem Abrahamæ posteritatem, neq; etiam contextus arguit; sed potius contrarium, ut supra vidimus.

*Obiectio.*

Pergit *Smalcius*: v. 16. non posse declarare id, quod v. 14. de participatione carnis & sanguinis dicitur, cum v. 16. de re quæ tunc, cum autor ista scriberet, perficiebatur, & nunc etiam perficitur agat, v. 14. verò de re, quæ præterita est.

*Responsio.*

Verùm obiectio hæc falsa nititur expositione textus. Vult enim *Smalcius* v. 14. sermonem esse de eo, quòd Christus afflictionibus & morti obnoxius esse voluerit sponte sua, quia pueri ipsius, hoc est fideles sint iisdem rebus, ex Dei voluntate obnoxij, idq; declarari v. 16. quia scilicet non *Angelorum* sit servator, sed *seminis* Abrahami. Hoc enim esse semen Abrahamæ recipere, quod ta-

men



men falsissimum esse dicimus. Nam ubi communicare carni & sanguini significat idem, ac afflictionibus & morti obnoxium esse? Caro & sanguis, quando conjunguntur significant in scriptura, vel ipsam naturam humanam per se, vel naturam humanam peccato corruptam. Videantur hæc loca Matth. 16. v. 17. Gal. 1. v. 16. 1. Cor. 15. v. 50. Ephes. 6. v. 12. Verbum verò *κοινωνήσε*, quo hic Apostolus de pueris, & *μετίχε*, quo de Christo utitur, non significant idem, quod obnoxium vel *subjectum* esse alicui; sed *communione* & *consortium* habere cum aliquo, *participem* illius fieri, & quasi ejus *partem* habere & accipere. Talis autem communio & participatio non est inter pueros & mortem, cui sunt obnoxij, sive *subjecti*; sed potius *contrarietas*. Deinde Christus hic dicitur *particeps* factus carnis & sanguinis, quia *frater* noster est, v. 12. At non tam *ratione afflictionum & mortis*, quibus propter nos *subjectus* fuit, *frater* noster est; sed maxime & potissimum *ratione nature*, quam nobiscum communem habet: unde v. 17. dicitur, quod *ita* particeps factus sit carnis & sanguinis, ut per *omnia* fratribus esset *similis*. Si verò per *omnia*: Ergo non tantum *ratione afflictionum*, quibus fuerit obnoxius; verum etiam *nature*. Præterea si communicare carni & sanguini idem est, ac morti & afflictionibus *subjectum* esse, Christus verò particeps factus carnis & sanguinis, hoc est, ut Photiniani explicant, afflictionibus & morti *subjectus* est, *πλερωσίου* consimiliter ut pueri, sequitur, Christum *ita* afflictionibus & morti *subjectum* esse, ut *metu mortis* servituti sit obnoxius: quia pueri ita morti sunt *subjecti*, ut Apostolus v. 15. ait, ubi miseriam puerorum describit, id quod absurdum & blasphemum est.

Porro verbum *Ἰπλάμεσάνομμι*, quo v. 16. Apostolus utitur, non potest hic illam habere significationem, quam Smalcius ipsi attribuit, nempe *servare* vel *servatorem* alicujus esse. Cum hac enim significatione non bene congruit antithesis. Nam de *Angelis bonis*, quibus c. 1. v. 4. Filium Dei præstantiorem & superiorem, paulisper quoq; inferiorem & minoratum fuisse dixerat, quibus etiam mundum futurum *subjectum* esse, negaverat c. 2. v. 5. 6. 7. Apostolum hic loqui, manifestum est. At *Angelos bonos*, cum nec *lapsi* nec *miseri* fuerint, *nulla* liberatione & *nullo* salvatore indigere vel indiguisse

Verbum  
Ἰπλάμε-  
σάνομμι,  
quid hic si-  
gnificet.



per se manifestum erat. Frustrà igitur diceret Apostolus Filium Dei Angelorum liberatorem vel salvatorem non esse.

*Exceptio.*

Excipit adversarius: *verbum Ἰπιλαμβάνομεν simpliciter significare recipere: Neminem verò non intelligere, vocis Recipere eam esse significationem, quæ ad dogma Incarnationis nihil prorsus facit, cum is aliquem recipere dicatur, qui eum iuvat, defendit, conservat. Hanc autem vocis huius significationem probat ex Eccles. 6. 4. v. 12. ἡ σοφία υἱς, ἐαυτῆς ἐνύψωσε, καὶ Ἰπιλαμβάνεται τῶν ζηζόντων αὐτήν. & Matth. 14. v. 31. extensa manu Iesus apprehendit eum ( Petrum ) Ἰπελάβετο αὐτὸν. Unde etiam ( ait ) Sebastianum Castellionem linguæ græcæ peritissimum & hic minimè suspectum, hanc vocem Græcam per verbum Latinum opitulatur, vertere non dubitasse. Hactenus ille. Respondeo: Imò propriè significat apprehendere & apprehendendo sumere vel assumere. Neq; negatur variè usurpari hoc verbum: verùm significatio ex *subjecta materia* & *circumstantiis* præsentis loci petenda est: Quòd verò hoc in loco non rectè vertatur per verbum opitulatur, patet inde, quòd *angelis bonis*, de quibus sermonem esse, supra vidimus, *opitulatione opus* non fuerit. Non itaq; erat, ut id negaret Apostolus. Ad hæc, si verbum Ἰπιλαμβάνομεν hoc in loco significat *idem*, quòd *iuvare, defendere, conservare*, & Christus *ideò* particeps factus carnis & sanguinis, qui *semen* Abrahæ, hoc est, fideles *iuvat, defendit, conservat*, sequitur etiam *Deum Patrem* participem esse factum carnis & sanguinis, qui & *ille semen* Abrahæ, hoc est, fideles *iuvat, defendit, conservat*, quòd est absurdum. Interpretatio igitur Photinianorum hic locum habere nequit.*

*Confutatio.*

Instat: *Non legi hic assumit; sed assumit.* Responderat ad hoc Grauerus thesi 37, *parùm* referre, quòd legatur assumit, & non assumit, cum *Enallage* temporis in sacra scriptura sit usitatissima.

*Enallage temporis in Sacra scriptura usitatissima.*

Sed excipit adversarius: *Enallagen temporum sæpè quidem occurrere, sed talem Enallagen rarò* Præsens ( inquit ) vel præteritum pro futuro quidem accipitur, & præteritum etiam pro præsentis accipi interdum videtur: at præsens pro Præterito nempe perfectò accipi pro valdè rarò censendum est.

*Exceptio.*

Respondeo: Sit ita, quòd *rarò* occurrat *Enallage* temporis præsentis pro præterito perfectò: interim tamen illam occurrere negare non potest *Smalcus*, quòd pro confirmanda nostra sententia sufficit.

*Responsio.*

Verùm



Verum talem Enallagen, quæ scilicet raro occurrit, non esse adhibendam ait, nisi tunc, cum aliter sensus verborum constare non potest. Concedo: quia verò de assumptione humanæ naturæ Filij Dei in unitatem personæ hoc in loco agitur, ut ipse vult contextus Apostoli, & hætenus ostensum: aliter certè verborum sensus constare non potest, nisi Enallage hæc adhibeatur. Non enim Filius Dei jam assumit naturam humanam; sed tunc, quando ex Maria virgine Abrahamæ Filia conceptus & natus fuit, eam assumsit.

Pergit adversarius: Cum verba v. 16. ratio sint, quare Christus carnem & sanguinem participavit: quia scilicet non Angelorum, sed hominum mortalium, quatenus fideles sunt, servator sit reipsa scilicet, hoc enim indicare vocem causalem Enim, inde constare, non idem esse, semen Abrahamæ recipere, quod carnem & sanguinem participare. Nunquam enim argumentum cum questione idem esse: Respondeo: Potius verba v. 16. ratio sunt verborum proximè præcedentium, nempe, quòd Christus per mortem aboleverit eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum: & liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant servituti. Cur enim Christus humanum genus ex tyrannide Satanæ liberare voluerit, demonstrat jam argumento à certo signo, quia scilicet non Angelos, sed semen Abrahamæ, hoc est, naturam humanam, ex familia Abrahamæ, assumsit. Quorum autem naturæ consortium assumsit, hi liberandi erant per Christum: non enim erat probabile, Christum alterius assumere naturam, & alterius liberationem meditari. Non enim erat ratio, cur in aliena id fieret natura. Sed humanæ naturæ consortium assumsit: Igitur homines liberare à tyrannide Diaboli voluit.

Instat: Ineptè dici v. 16. declarari, unde carnem & sanguinem acceperit Filius Dei, nempe ex semine Abrahami, nisi doceatur, semen Abrahamæ aliud nihil significare, quàm carnalem Abrahami posteritatem. Respondeo: Supra docuimus, semen Abrahamæ propriè significare carnalem Abrahami posteritatem, quod si verum, uti verissimum, rectè etiam verba hæc, assumsit (nempe Filius Dei) semen Abrahamæ, declarant, quomodo & unde carnem & sanguinem acceperit, nimirum ex semine Abrahami, cum textus contrarium non arguat?

Deniq; objicit: Si tandem concedatur, vocem græcam ita converti posse, tamen diversos esse prorsus loquendi modos, Christum ex semine Abrahami  
aliquid



aliquid accepisse, & Christum semen Abrahami accepisse. Isto enim modo fortassis ortum ex aliquo significari posse: at hoc minimè. Quis enim (inquit) unquam audivit vel legit in sacris literis, accipere semen alicujus, esse nasci ex illo? Nec mirum. Nam accipere semen alicujus est actio ejus, qui jam re ipsa existit: sed nasci ex aliquo, non est actus ejus, qui nascitur, sed vel Dei vel parentum. Unde etiam nusquam dicitur, cum de Christi nativitate & ortu sermo est, Christum aliquid fecisse, ut hic, cum de receptione seminis Abrahami sermo est, dicitur: sed simpliciter, eum factum esse, vel simpliciter esse ex semine Davidis vel ex patribus. Hæc ille. Respondeo: Quo ad sensum modi illi loquendi nullo modo diversi sunt, & aduersarius hic nodum in scirpo quærit. Nam quemadmodum idem planè sunt, esse semen Abrahamæ, & esse ex semine Abrahamæ, uti constat ex Gal. 3. v. 16. ubi Christus dicitur semen Abrahamæ, hoc est, ex semine Abrahamæ, ut Paulus Rom. 9. v. 5. explicat: Christus est ex patribus (& sic ex semine Abrahamæ)  $\kappa\tau\omicron\iota\gamma\eta\gamma$ , & Rom. 1. v. 3. ex semine Davidis  $\kappa\tau\omicron\iota\gamma\eta\gamma$ . Sic & Joh. 8. v. 33. ubi Judæi dicunt ad Christum: Semen Abrahamæ sumus, & v. 37. respondet ipsis Christus: Scio vos semen Abrahamæ esse, & Rom. 9. v. 7. ubi Paulus ait: Neq; quia semen Abrahamæ, hoc est, ex semine Abrahamæ, ideò omnes sunt filij: ita etiam idem sunt, accipere sive assumere semen Abrahamæ, & ex semine Abrahamæ aliquid, nempe naturam humanam, accipere: imò posterior locutio explicatio quasi prioris est. Quòd autem semen Abrahamæ assumere, sit actio ejus, qui jam re ipsa existit, hoc scimus, & quia de Christo dicitur, quòd semen Abrahamæ assumpsit, concludimus hinc, ipsum antea fuisse & reverà existisse ante omnia scilicet secula, antequam semen Abrahamæ ex Maria virgine assumeret: & ut hoc ipsum innueret Apostolus, ideò etiam isto loquendi modo usus fuit, quemadmodum etiam Rom. 1. v. 3. ait, Filium Dei ex semine Davidis  $\kappa\tau\omicron\iota\gamma\eta\gamma$  factum esse, significans illum prius fuisse, & postea factum esse, quod non fuerat.

Deinde: etiamsi expressè in scriptura non legatur, assumere semen alicujus, esse nasci ex illo, sive ipsius semine, idem tamen esse, ipsa verba satis innuunt. Et certè, si verba hæc propriè, ut sonant, accipiantur, quemadmodum etiam accipi debent, ut antea ostendimus, aliter illorum sensus constare nequit, nisi dicatur, semen alicujus assumere, esse ex semine alicujus nasci & originem suam trahere. Neq; etiam in sacris literis expressè legitur, quòd  
semen



semen alicujus esse, sit idem ac esse *ex* semine illius, attamen idem esse, nemo negare potest. Illud verò falsissimum, imò planè ineptum est, quod *Smalcus* ait, *nasci* ex aliquo, esse *actionem* vel *Dei*, vel *parentum*. *Nasci* ex aliquo vel generari, est *passio* illius, qui nascitur vel generatur: *generare* verò *actio* Dei, vel parentum est, qui generant vel procreant sobolem. Ex hisce omnibus, quæ hæctenus dicta sunt, jam manifestum esse potest, firmum & immotum adhuc stare, quòd Christus *ita σαρεξ ἐγγετο*, ut particeps factus sit carnis & sanguinis, & assumendo semen Abrahæ, id est, naturam humanam ex Maria virgine Abrahæ filia, homo factus sit.

Notari autem velim, nos, quando negamus verba Joh. i. v. 14. *ὁ λόγος σαρεξ ἐγγετο*, *ita* explicanda esse, *sermo humilis & abjectus factus est*, vel fuit, non impugnare, *Christum* factum esse vel fuisse *humilem & abjectum*, præcipuè tempore *passionis*: imò Johannem voce *Cur Johannes voce carnis usus?* *carnis* hanc ob causam etiam usum fuisse dicimus, ut simul calamitates & miseras illas humanas, quibus Christus his in terris propter nos fuerit subjectus, exprimeret: sed quòd *tantum* de calamitatibus & miserijs illis humanis Evangelista agat, ut *Photiniani* volunt, & non etiam, & quidem potissimum de ipsa natura humana Christi, vel, ut vult *Franciscus Davidis*, de *profundâ* illâ humiliatione & exinanitione tempore *passionis* Christi, de quâ Paulus Phil. 2. v. 7. agit, *proprie* & accuratè loquendo *ἀμείσως* loquatur, hoc ipsum textui contrariari dicimus, quia additur, quòd *ita σαρεξ ἐγγετο*, ut habitaverit inter homines, & viderint *gloriam* illius, non vulgarem; sed tanquam unigeniti à Patre, quod non nisi per antithesin quandam apponere potuisset Johannes, si prius de profundâ illâ humiliatione & exinanitione Christi *ἀμείσως* egisset. Atq; hæc ex parte etiam monuerat *Grauerus*.

Verùm audiamus, quomodo placeant adversario: *Sed hæc* (inquit) *infirmæ conjectura est*. Nam quid impedit, quo minus dicatur *Christum* fuisse *humilem*, & habitasse inter homines, & eos vidisse *gloriam* illius, *gloriam* quasi unigeniti à Patre? Nonne tam is, qui *humilis* fuit & *abjectus*, quàm qui homo factus fuerat, habitare inter homines potuit & habitavit ex mente *Graueri*? Ita ille. Respondeo: *Christum* fuisse *humilem* & *abjectum*, & ut *humilem* etiam habitasse inter homines, quis negat?

G

negat?



negat? anné vero, quatenus scilicet humilis fuit & abjectus habitavit inter homines *ita*, ut viderint *gloriam* ejus, gloriam non vulgarem; sed tanquam unigeniti à Patre? Absurdum hoc & contradictionem implicat. Quomodo enim tanta Christi gloria videri potuit, si ut humilis *tantum* & abjectus ipse inter homines habitaverit, & non potius ut homo, in quo summa ejusmodi gloria apparuit? Non de *simplici* habitatione; sed quæ *cum gloria* conjuncta est hæc queritur.

Christus  
quando &  
quomodo  
cum homini-  
bus conser-  
satus fuerit?

At valde *insulse* dicitur, ait iterum *Smalcius*, Christum hominem factum vel natum habitasse inter homines. Est enim habitatio ista nihil aliud, quam conversatio cum hominibus. Christus verò puer natus, quomodo cum hominibus conversari potuit? Præterea juncta est ista habitatio inter homines cum ista visione gloriæ illius, gloriæ quasi unigeniti à Patre. Quæ verò gloria tanta visæ fuit ab hominibus à Christi nativitate vel habitatione illa inter homines, qualem fingit *Grauerus*? Unde constat non de eo tempore, quo Christus natus fuit, & inter homines vivere ut puer cœpit, sed de conversatione & vita ipsius, quam, postquam munus suum exorsus esset, inter Apostolos degit, sermonem esse. Hi enim per *voce*m, nos, significantur. Hactenus ille. Sed fingit hoc *Smalcius*, quòd *Grauerus* dicat, Christum hominem natum habitasse inter homines, atq; *ita certum* tempus conversationis Christi cum hominibus describat, nempe postquam puer natus fuit. Quis enim ignorat, Christum tum demum conversatum fuisse cum hominibus, quando scilicet per ætatem potuit? Hoc tantum vult, neq; etiam aliud ex verbis *Graueri* elicere poterit *Smalcius*, quòd Christus non *ut* humilis & abjectus; sed potius *ut* homo, & quidem non vulgaris, inter homines vel Apostolos (quòd enim de conversatione cum Apostolis potissimum hæc loquatur Evangelista, sententiæ nostræ nihil derogat) habitare potuit, *ita* nimirum, ut gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre viderint, cum non nisi absurdè & *ἀντιφατικῶς* dicatur, eo ipso, quo quis humilis & abjectus est, ejus videri gloriam. Unde concludit, Johannem de humiliatione & exinanitione Christi propriè & accuratè loquendo *ἀμέσως* non agere: ac proinde etiam verba *ὁ λόγος σαρκὶ ἐγένετο* non esse explicanda hoc modo, Verbum caro, id est, humilis fuit & abjectus; sed homo factus est: siquidem non nisi per antithesin immediatè aliàs subjungi potuisset habitatio inter homines, quæ



quæ cum visione summæ gloriæ conjuncta est, si tantum & ἀμείωως 5E  
de humiliatione Christi prius egisset.

Et quid ad hoc argumentum respondebit *Smalcius*? Ita Christus  
σαρκὲς ἐγένετο, quemadmodum *caro semper* fuit, quando habitavit  
inter homines, vel cum Apostolis conversatus fuit. Sicuti  
enim λόγον descriperat Johannes, ut fuerat in principio apud  
Deum v. 1. 2. ita v. 14. describit eum, ut inter homines habitavit.  
Atqui non *semper* fuit *caro*, id est, *humilis & abjectus*, quando cum di-  
scipulis conversatus fuit. Nam *post* resurrectionem ex mortuis etiam  
Christus cum discipulis suis conversatus fuit, & visus ab illis per  
quadraginta dies, & ipsi cum eo comederunt & biberunt Act. 1.  
v. 3. & 10. v. 41. neq; tamen tunc *ita caro* erat, ut esset *humilis & abje-*  
*ctus, miseris humanis & morti* subjectus: Ergo nec Christus *ita σαρκὲς*  
*ἐγένετο*, ut *caro*, id est, *humilis* fuerit & *abjectus*; sed potius *ut homo* factus  
sit: nisi forsan dicere velit *Smalcius*, Christum etiam *post* resurre-  
ctionem ex mortuis fuisse *humilem & abjectum calamitatibus & miseris*  
*humanis ac morti* subjectum, quod tamen absurdum & impium est.

*Francisco Davidis*, qui verba Johannis, ὁ λόγος σαρκὲς ἐγένετο,  
hunc sensum habere contendit, Filius Dei factus est *humilis & abje-*  
*ctus*, quando passus est, objecerat *Grauerus*, quod hic *ita σαρκὲς ἐγένετο*  
Christus dicatur, ut habitaverit inter homines & gloriam ejus vi-  
derint. Christum vero habitasse inter homines, & gloriam suam  
manifestasse eamq; visam fuisse, antequam se tam profundè humi-  
liaret, ut videre Joh. 2, v. 11.

Sed quid responderet *Smalcius*? Hoc (inquit) *puerile & frivolum*  
*est*, Nec enim *Iohannes* tempus certum exprimit, quo gloria Christi qualiscunq;  
*sic* manifestata, ut necesse sit istam historiam *Ioh. 2. huc* referre: sed totum illud  
tempus, quo Christi gloria conspecta fuit comprehendit. Hæc ille. Verum  
tantum abest, ut responsione hac *Grauerum* refutet, ut potius ar-  
gumentum ejus stabiliat & confirmet. Nam si tempus *certum* non  
exprimit *Iohannes*; sed *totum* comprehendit, quo Christi gloria con-  
specta fuit; Ergo nec tempus illud post passionem & profundam  
illam humiliationem Christi tantum denotat, quo gloria ejus visa  
fuit; sed etiam ante passionem, quo tanta Christi gloria, quæ sit  
unigeniti à Patre, visa quoq; fuit in miraculis quibusdam singula-  
ribus,



52 ribus, & in monte sacro Matth. 17. ut hic ipse *Smalcus* fatetur. Ex quo etiam rectè concluditur, quòd de profundâ illâ humiliatione & exinanitione Christi tempore passionis, *proprie & accurate* loquendo, *Iohannes à πένθος* non agat. Tunc enim jam Christus factus erat caro, quando gloria ipsius, quæ est unigeniti à Patre, visa fuit. At qui *antequam* se tam profundè humiliaret Christus, gloria ejus, quæ est unigeniti à Patre visa fuit, fatente ipso *Smalcio*: Ergò etiam *antequam* se tam profundè humiliaret Christus jam factus erat caro, & non demùm tunc factus, quando passus est, id quod contra *Franciscum Davidis* hîc erat probandum. Videat igitur *Smalcus*, annon ineptè puerilia obijciat *Grauer*, cum ipse nec *certum* tempus describat, quo Christi gloria visa fuit; sed potius contra *Franciscum Davidis* urgeat, non tantum *post* passionem Christi; verùm etiam *ante* illam, Christi gloriam fuisse conspectam, atq; sic *totum* tempus, cum antè tum post passionem Christi, quando nimirum his in terris inter homines habitavit, vel cum discipulis conversatus fuit, apud Johannem hic denotari, cum ipso statuatur.

Utrum in  
miraculo  
Christi Joh.  
2. v. 11. tanta  
gloria que  
est unigeniti  
à patre ap-  
paruerit?

At negat adversarius, quòd in miraculo Christi Joh. 2. v. 11. tanta gloria, quæ fit unigeniti à patre, apparuerit. *Quomodo enim* (inquit) *ea gloria, quæ tunc apparuit, cum Christus aquam in vinum commutaret, pro gloria istâ haberi potest, quam homines viderint, eamq; talem, qualis est unigeniti à Patre: cum incertum sit, an ad omnes, vel multos etiam homines fama istius miraculi pervenerit.* Egregia sanè consequentia: Incertum est, an ad omnes, vel multos etiam homines fama istius miraculi pervenerit: Ergò gloria illa, quam miraculo isto Christus manifestavit, pro gloria haberi non potest, quam viderint homines eamq; talem, qualis est unigeniti à Patre. Annon sufficit, quòd fama istius miraculi ad *aliquos* homines saltem pervenerit? An forsân illi, ad quos pervenit, & qui oculis suis miraculum viderunt, & à quibus gloria, quam Christus illo manifestavit, conspecta fuit, homines non fuerunt? vel an pauci homines, ut tres, quatuor, quinque homines non sunt? neq; etiam gloria, quæ à paucis hominibus visa fuit, pro gloria istâ haberi potest, quam homines viderint, eamq; talem, qualis est unigeniti à patre? Gloriam Christi in monte sancto tantùm viderunt Petrus, Jacobus, Johannes Matth. 17. v. 1. Ergò eam non viderunt homines? Ergò, antequam fama trans-



transformationis Christi ad omnes vel etiam multos homines per-  
venit, gloria illa quam in Christi transformatione viderunt tres illi  
Apostoli, pro gloria ista haberi non potuit, quam homines vide-  
runt eamque talem, qualis est unigeniti à patre? num tres illi Apo-  
stoli non fuerunt homines, sed homo; Apage istas ineptias.

53

Pergit Smalcus: *Falsum autem omnino, hanc esse gloriam tanquam unigeniti à Patre. Cur vero? Poterat enim (ait) hoc idem facere alius etiam, qui filius Dei non esset.* Respondeo: Etiam si alij, ut Prophetæ & Apostoli tale miraculum facere potuissent, quemadmodum etiam de Mose legitur, quod aquam converterit in sanguinem, Exod. 7. v. 20. & Apostoli etiam magna fecerunt miracula, nihilominus tamen in hoc Christi miraculo, ut & in reliquis omnibus talis potuit apparere gloria, atque etiam apparuit, qualis est unigeniti à Patre, cum ipse propria potestate miracula sua fecerit & operatus fuerit: Moses verò ceterique Prophetæ & Apostoli non propria potestate; sed aliena fecerunt miracula, quemadmodum luculenter ostendit Petrus Act. 3. v. 12. Imò miracula omnia, quæ cum Christus, tum Apostoli virtute & potentia Christi Marc. 16. v. 20. Act. 4. v. 9. fecerunt, eo fine facta sunt, ut illis gloria Christi manifestaretur ac confirmaretur, quod Jesus esset Christus filius Dei unigenitus, sicut Christus ipse de suis operibus Judæis dicit Joh. 10. v. 38. *Si mihi non creditis, saltem operibus meis credite: ut cognoscatis & credatis, quod pater in me, & ego in eo: & c. 20. v. 30. 31.* Iohannes scribit: *Multa quidem alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Iesus sit Christus filius Dei.* Si verò ex Christi & Apostolorum miraculis homines potuerunt cognoscere, ut & credere, Jesum esse Christum filium Dei unigenitum, talem in ipsis quoque apparuisse gloriam, qualis est unigeniti à patre, necessum est. Et certè de miraculo Joh. 2. v. 11. *expressè* dicitur, quod eo Christus gloriam suam manifestaverit, & in ipsum crediderint discipuli ejus. Unde miror, quod negare audeat Smalcus, quasi isto miraculo non fuerit manifestata tanta gloria, quæ sit unigeniti à patre. Nam si Christus hoc ipso miraculo suam manifestavit gloriam, ut crediderint in ipsum discipuli ejus, quidni etiam talem, qualis est unigeniti à Patre? Annè forsan alia est Christi gloria, & alia unigeniti Dei filij? Ab-

G 3

furdum



surdum. Videat igitur *Smalcus*, annon hic ipsi Johanni in faciem contradicat, quando negat, gloriam illam, quæ tunc apparuit, cum Christus aquam in vinum commutaret, fuisse talem, qualis est unigeniti à Patre, cum tamen Johannes gloriam eam, gloriam Christi fuisse, apertè scribat.

Verùm urget vocem, quâ Johannes utitur ad declarandum modum, quo gloria illius visa fuit, ἐθεασέμεθα. Hæc enim (ait) contemplationem, hoc est, crebram & constantem rei alicujus considerationem significat. Hinc à simplici visione distinguitur 1. Ioh. 1. v. 1. quod vidimus, quod contemplati sumus. Hanc vero in tali miraculo locum non habere, nemo non intelligit. Hæc ille. Sed cur *Smalci* locum non haberet contemplatio sive crebra & constans consideratio in hoc Christi miraculo, quod tale & tantum, ut Christus isto suam gloriam manifestarit, & eo commoti discipuli in ipsum crediderint? Annon omnia Dei opera, qualia etiam sunt Christi miracula, crebra & constanti consideratione digna sunt? impius erit *Smalcus* si negaverit: sequeretur enim obiter tantum aut oscitanter ea esse aspicienda. Si igitur diligenter & piè consideranda atq; deprædicanda sunt Dei opera, utiq; etiam Christi miracula, & per consequens contemplatio quoq; in illis locum habebit.

Porro monuerat etiam *Graueus*, ut adversarij & hoc perpendere, quod, postquam Johannes dixit: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, non amplius Christum in toto Evangelio λόγον appellat, sed vel Iesum vel Christum, vel filium hominis &c. procul dubio, quod verbi appellatione filium Dei exprimere voluit, quatenus etiam ante Incarnationem Verbum Dei fuit, & non solum eâ ratione, quod voluntatem Patris nobis in tempore revelavit, sed quod à Deo ab æterno genitus est, quæ generatio assimilatur intellectioni nostræ. Licet enim in nobis conceptus mentis sit accidens, in Deo tamen idem est, intelligens, intellectum & intellectio, & species intelligibilis, exceptis relationibus mutuis producentis & producti.

Ad hæc quid *Smalcus*? Expendimus (inquit) jam pridem non sine causa D. Iohannem, qui ab initio Evangelij de sermone locutus fuerat, deinde Iesum Christum disertè substituisse: sed causam eam esse, quam subscripsit *Graueus*, hæcenus videre non possumus. At quænam igitur erit? Hæc (inquit) procul dubio est, quod disertè docere voluerit, tum quis esset ille, quem  
sermo-



sermonem appellat, nempe nemo præter & ante Iesum Christum, contra 55  
quam hodiè pleriq; sentiunt: tum quare Iesum Christum sermonem appellat,  
quis scilicet per Iesum Christum gratia & veritas facta sint, & is Deum nobis  
exposuerit. Haftenus ille.

Respondeo: quòd primam causam attinet nihil ad rem dicit. Cur Johan-  
Quaritur hic: Cur Iohannes, postquam dixit: ὁ λόγος σαρκὲς ἐγένετο, nes postquã  
non amplius in toto Evangelio Christum λόγον appellet, sed vel Iesum dixit: ὁ λό-  
vel Christum, vel filium hominis &c. at quid hoc est, dicere, id fieri γὰρ σαρκὲς  
propterea, ut disertè doceret, quis esset, quem sermonem appella- ἐγένετο, non  
rat? annon potuisset hoc fieri, & nihilominus postea λόγος appel- amplius in-  
lari, quemadmodum promiscuè jam Iesus, jam Christus, jam filius ho- toto Evan-  
minis appellatur? Unde autem habet Smalcus, quòd pleriq; sentiunt, gelio Chri-  
λόγον alium esse præter Iesum? fingit hoc, ut supra oculariter fuit stum λόγον  
ostensum. Nec altera causa id probat, quod probare debet. Hoc appellet?  
quidem indicat, Christum λόγον etiam propterea appellari, quòd  
voluntatem Patris nobis in tempore revelarit: at nisi alia etiam  
causa esset, cur ab initio sui Evangelij Christum λόγον appellasset  
Iohannes quam hæc, potuisset quoq; postquam dixerat, eum carnem  
factum fuisse, λόγον ipsum appellare. Aliam igitur Evangelistam  
habuisse causam necessum est. Illa verò procul dubio alia non erit,  
nec facilè aliam assignare poterit Smalcus, quàm quòd τὸ λόγος ap-  
pellatione notanter Filium Dei exprimere voluit, quatenus etiam an-  
te Incarnationem verbum Dei fuit, & à Deo ab æterno genitus est.

Sed obijcit adversarius: Vocem græcam λόγος non significare ver-  
bum, sed sermonem. Respondeo: sive vox græca λόγος vertatur  
sermo, sive verbum, sententiæ tamen nostræ nihil derogat. Quemad-  
modum enim aliàs in homine sermo ἐν δόξῃ intra animum  
conceptus formam mentis plenè repræsentat, & sine ullâ mentis  
ægritudine & mutatione, veluti animi quædam soboles, quantum  
essentiam mentis attinet, generatur: ita etiam non ineptè; sed piè  
dicitur, quòd filius ὁμοιωσως mentem Patris repræsentet: siquidem  
est χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτῆς & εἰκὼν & ὑπαπόστασις sub-  
stantiæ Paternæ. Hebr. i. v. 3. Col. i. v. 15. & quantumvis filius sit,  
tamen ὁμοιωσως καὶ ἀναλλοιώτως ex substantia Patris generatur.

Cæte-





Cæterum *Smalcus* 1. *monere* hic voluit, *Grauerum* non debuisse dicere, *Filium Dei ab æterno à Deo esse genitum: siquidem ut alij dicunt, nondum genitus est, sed perpetuò generatur & generabitur.* Ita ille. Sed quoniam, *Smalci*, illi sunt, qui dicunt, *Filium Dei nondum esse genitum?* Licet enim quidam æternam generationē Filij Dei exprimere volentes, ita loquantur: *Filius Dei generatus est generatur & generabitur: non tamen hoc volunt, quasi Filius Dei nondum sit genitus, vel generationem illam nondum esse perfectam vel multoties iterari: sed quod actus generationis, qui ab æterno perfectus est, absq; ullâ mutatione vel successione temporis continuatur.* Præterea, cum ea sermonis humani sit *inopia*, ut rem æternam non possit, nisi per tempora enunciare, sive unum sive plura: sed tamen, quia, quicquid est temporis, id enunciatum illis tribus, præterito, præsentem & futuro; & totum tempus simul sumtum proprius æternitati est, quam particula illius: idcirco melius æternitas tribus simul temporibus, quam uno enunciatum. Sic Deus est, erat, & venturus est. *Apoc. i. v. 4.* nihil aliud sibi vult, quam æternum esse: & Christum genitum esse à Patre, gigni & genitum iri, nihil aliud, quam æternum gigni. Quapropter non solum dicimus, *Filium ab æterno generatum esse; sed etiam semper generari.*

Deinde ait: *mirum esse, cur non plures uno filios Deus ille, qui perpetuò se ipsum intelligit, generet?* Respondeo: *Generatio Filij Dei non est humana & temporalis; sed divina & æterna: ideoq; licet Christus perfectus sit filius, tamen generatio ejus nunquam desijt; Sed semper à Deo generatur & generabitur, ut jam diximus.*

Tertio inquit: *mirum esse, cur Filius & Spiritus Sanctus, qui eandem numero habent essentiam, quam is habet, qui generare dicitur, non generent etiam ipsi?* Respondeo: *Essentia divina absolute considerata, & quatenus tribus personis divinitatis communis est, non dicitur generare, sed persona Patris, & sic essentia divina relate considerata non essentia divinæ, non Trinitatis filius, sed unius tantum personæ, nimirum Patris filius Christus dicitur.*

Tandem dicit: *Filium Dei fuisse ante incarnationem, esse ingentem fabulam. Putat enim, si antea filius fuerit, jam id, quod in virginis Mariæ utero conceptum, & ex ea natum fuit, non esse proprie Dei filium.* Sed ad hoc argumentum jam supra sufficienter, ut spero, fuit responsum, ideoq; hic nihil addo. Mone-

*Essentia divina absolute considerata non generat.*



57

Monemus verò & nos *Smalcium*, ne tam scopticè piam nostram de æternâ generatione Filij Dei sententiam, nondum rectè intellectam, exagitet, sed firmis argumentis illam, postquam rectè perceperit, si potest, oppugnet. Notari autem volumus, quando à nobis generatio Filij Dei *intellectioni* nostræ *assimilatur*, eò, quòd Christus in scripturâ æterni patris *ὁ υἱος* & imago appellatur, nos illâ similitudine non tam *modum* istius generationis probare velle, quàm saltem aliquo modo generationem illam *illustrare*. Aliàs enim ipsam generationem ejusq; modum *imperscrutabilem* esse dicimus, cùm summum sit mysterium, & procul à captu rationis positum. Quia verò scriptura expressè docet, Christum esse *unigenitum & proprium* Dei filium Joh. 1. v. 18. & 3. v. 16. 18. Joh. 4. v. 9. Rom. 8. v. 32. atq; sic *naturalem*, ut fatetur ipse *Socinus* contra *Wiekum* & *Bellarm.* p. 217. credimus etiam ipsum ex *naturâ & essentiâ* Dei Patris genitum esse. Is enim *proprius & naturalis* filius dicitur, *qui naturam suam habet ex gignente*: gignens enim & genitus sunt relata, & quidem *relatè opposita*, quæ se mutuo ponunt & tollunt: qualiter se habet *genitus*, taliter etiam *gignens*, cùm oppositorum sit eadem ratio: *Quâ ratione igitur genitus dicitur filius naturalis, tali etiam gignens dicitur pater naturalis*: nam filius naturalis, etiam patrem habet naturalem, ut relatum relato correspondeat. *At gignens non potest dici naturalis pater, nisi ideò quia ex suâ naturâ & essentiâ genuit filium. Ergò etiam genitum non dicitur aliâ de causâ filius naturalis, quàm quia naturam & essentiâ suam ex patre tanquam gignente habet.* Hoc verum esse, testatur exemplum hominum, ubi *naturalis filius hominis* quis dicitur, quia ex *homine gignente naturam humanam habet.* Cùm itaq; Christus *unigenitus, proprius & naturalis* Dei filius, ex *essentiâ* quoq; Dei Patris *genitus* est. At non *secundum carnem*, ut ab utraq; parte constat: Ergò secundum aliam naturam, quæ non potest esse, nisi *æterna & divina*. Christus igitur filius Dei est ab æterno ex *essentiâ divinâ* æterni patris *genitus*. Hæc omnia directè ex scripturâ deducuntur, in his nos quoq; acquiescimus, nec *præter & extra* id, ut *Smalcius* fingit, quàm, quod Dei verbum nobis revelat, sapimus. Deum autem oramus, ut omnibus, & sic etiam Photinianis eam det mentem, ne *præter & extra* Dei verbum sapere velint.

Atq; sic nunc obtinuimus, Paulum 1. Tim. 3. v. 16. per manifestatio-

H

statio-



stationem Dei *in carne* intelligi manifestationem *filij Dei*, seu particulam illam in textu Paulino de *Christo* accipiendam esse.

Quòd secundam particulam textus Paulini 1. Tim. 3. v. 16. ad quem jam revertor, attinet, nempe *justificatus est in Spiritu*, omisit quidem illam *Grauerus*, non propterea, ac si interpretationi nostræ adversaretur, ut existimat *Smalcus*; sed quia diversimodè exponi possit, citra jacturam fidei, ut expressè addiderat *Grauerus*. Verùm expendamus illam, & apparebit eam nobis non adversari; sed potius sententiam nostram confirmare. Verbum *justificari* hìc nihil aliud significat, quàm pro justo & vero agnosci & declarari. Hanc enim vocis *justificari*, quando de *Deo* usurpatur, significationem esse, fatetur hìc ipse *Smalcus*, & confirmatur etiam ex Psal. 51. v. 6. ubi *Deus justificari* dicitur *in sermonibus suis*, hoc est, justus agnitus & declaratus. Sic & Matth. 23. v. 19. Luc. 7. v. 35. inquit *Christus, justificata est sapientia à filiis suis*, id est, sapientiam Dei à filiis suis, ut erat, justa & vera agnita & recepta est. Per *Spiritum* verò intelligitur *virtus divina*, fatente quoq; ipso adversario. Hoc autem falsissimum est, quòd in priori particula, voce *Carnis*, tantùm infirmitatem intelligi dicit, & non etiam ipsam naturam humanam, eò, quòd divina virtus carni hìc opponatur. Nam & Rom. 7. v. 3. & 4. ubi Paulus de *Christo* scribit, quòd sit *factus ex semine Davidis secundum carnem, & declaratus filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis*, vocabulum *Spiritus* eodem sensu opponitur *carni*, neq; tamen vox *carnis* infirmitatem ibi significat; sed ipsam naturam humanam, nisi dicere velit *Smalcus*, *Christum* secundum infirmitatem esse ex semine Davidis, quod planè ineptum. Quando igitur Paulus dicit: *justificatus est in Spiritu*, idem est, ac si dixisset, *eundem*, qui *humana carne vestitus* apparuit, simul tamen *declaratum* fuisse *Dei filium*, ut sic *carnis infirmitas* nihil derogaverit ejus gloriæ. In ipso enim *divina virtus* apparuit, quæ eum *Deum* esse testaretur, quemadmodum confirmat Johannes, c. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre*. Et hæc nostra interpretatio exactè cum ipso etiam contextu convenit. Ut enim *magnum pietatis mysterium* fuit, quòd *Deus*, id est, æternus *Dei filius* in carne manifestatus, ita, ut caro seu homo factus fuerit, & varijs calamitatibus & miserijs humanis subjectus: sic quoq; *magnum mysterium* fuit, quòd in *infirmis illa carne Christi ita divina virtus sese exercens,*

Quomodo  
Christus in  
Spiritu Ju-  
ustificatus?



exeruit, ut Christus, *quantumvis infirmus homo*, tamen pro Dei filio seu 59  
vero Deo agnitus fuerit.

Smalcus particulam hanc ita explicat: *Quemadmodum* (inquit) *una particula mysterij Christianae religionis fuit, quod divina voluntas de salute humani generis debuit per infirmos homines revelari: sic altera fuit, quod divina virtus, quae tum in Christo, tum in Apostolis sese exerebat, effecit, ut homines paterentur sibi persuaderi, vera ea esse, quae tum Christus, tum Apostoli praedicarunt.* Hæc ille. Verùm explicatio hæc prius locum hic habere nequit, usq; dum nos edoceat Smalcus, per vocem Dei, in prima particula, intelligi voluntatem Dei de salutè humani generis, & scripturam alicubi de voluntate Dei de salute hominum ita loqui, quod in carne sit manifestata.

Ad tertiam particulam, nempe *ὡφθη τοῖς ἀγγέλοις*, accedo, *Christus ab Angelis visus.*  
quæ satis clarè indicat, Christum in *subiecto*, voce Dei, notari. Hic enim est, qui ab Angelis visus seu conspectus in ipso salutiferæ incarnationis & nativitatis exortu, quando & pastoribus hoc Evangelium annunciant & Deo laudes canunt Luc. 2. v. 10. 13. 14. Visus ab illis est in illo stupendo agone, quo cum mortis & inferni terroribus ad sanguinei usq; sudoris profluvium luctatus, & per Angelum coelitus apparentem confortatus legitur Luc. 22. v. 34. 44. Conspectus etiam ab illis gloriosè ex mortuis resurgens, de quâ victoriâ luculenter ipsi concionantur ad mulieres Matth. 28. v. 5. 6. Marc. 16. v. 16. Visus insuper est ab Angelis in suo ad coelos ascensu, maximè verò in divina sua majestate, quando Angelis præstantior factus, secundùm assumptam & jam glorificatam carnem ad dextram majestatis Dei confedit, subjectis sibi Angelis & potestatibus ac virtutibus. Hebr. 1. v. 3. 4. 1. Petr. 3. v. 22.

Sed hæc ita eludit adversarius: *Quis nescit Christum, si incarnatus fuit, visum fuisse ab Angelis, ut hoc nobis Paulus pro re nova panderet? Visus enim fuit, imò non potuit non videri ab omnibus & hominibus & demonibus. Paulus autem, ut ipsa verba illius ostendunt mysterij pietatis particulas nobis describit. Quid verò mysterij in eo est, quod in omnium sese oculos sponte sua ingerit? Adde quod Graevus cum alijs fortasse credit, angelos omnia solo intuitu cognoscere? Quomodo igitur de illis prædicari potest, ab eis tunc visum fuisse Christum?* Hactenus ille. Respondeo: *Quod Filius Dei, postquam incarnatus fuit, ab omnibus & hominibus & demonibus.*



bus visus fuerit, scimus: interim tamen mysterium *Incarnationis* tale spectaculum fuit, quod tam *novitate*, quam *praesentia sua* Angelos in se converterit. Nullus enim, non tantum hominum, sed & Angelorum *satis explicare* potuit, aeternum Dei filium *assumere* naturam humanam in *unitatem* personae, in *carne pati & mori*, ex mortuis *resurgere*, ut *hominem* denique *collocari ad dextram Dei in caelis*, longe *supra omne imperium ac potestatem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro* Eph. I. v. 20. 21. Quod igitur *Incarnationem* aeterni Dei filij, non tantum homines, sed & ipsi angeli, nec *satis* intelligere, nec *satis* explicare potuerint; sed cum *stupore* viderint, *hoc ipsum* magnum illud mysterium est, quod hic commendat Apostolus.

*Angeli solo  
intuitu omnia  
cognoscunt.*

Deinde: Angelos quidem solo intuitu omnia cognoscere credimus. Non enim *rationando*, componendo & dividendo, conclusiones ex principijs eliciendo, attributa cum subjectis connectendo, cognoscunt. Nam quod nos aliam quaedam notitiam cognoscamus subjectum, & aliam, quid subjecto conveniat, vel non conveniat, componendo scilicet & dividendo, & similiter aliam notitiam cognoscamus principia, & aliam conclusiones ex principijs, nempe *rationando* seu *discurrendo*, accidit nobis ob intellectus nostri imperfectionem. At Angeli longe perfectiori lumine intellectuali praediti sunt. Merito itaque existimare possumus, illos sine compositione & divisione & discursu, simplici quodam intuitu, ea, *quae nimirum intelligunt*, intelligere, cum neque aliunde etiam suppetat nobis idonea ratio, cur hanc praestantiam illorum intellectui denegemus. Quomodo autem Smalcus inde concludere velit, Christum, postquam incarnatus fuit, non fuisse visum ab Angelis, non video. Fortassis putat nos credere, Angelos uno intuitu & actu simul omnia simpliciter videre & intelligere; sed errat. Scimus enim, quod hoc solius Dei proprium sit. Nam si Angeli uno actu simul omnia viderent & intelligerent, tum essent puri puri actus. At hoc non est. Est quidem Angelus supercaelestis actus; sed solus Deus est purus actus, quia causa absque causa, ens absque ente, ut qui sit mera essentia. Vel etiam existimat, nos velle, Christum visum fuisse ab Angelis, quemadmodum ab hominibus oculis scilicet corporeis in carne visus fuit. Absit. Quis enim ignorat Angelos esse



esse Spiritus ex Psal. 104. v. 4. Hebr. 1. v. 14? Non igitur corporali modo, & ut ab hominibus Christus visus & cognitus fuit, sed sublimiori, qui nimirum naturæ Angelorum competit, ipsum viderunt, ejusq; conceptionem nativitatem, passionem, resurrectionem & ascensionem in cœlum cognoverunt, & partim prædicarunt & annunciarunt. Hæc enim sunt, quæ Petro teste 1. Epist. 1. v. 12. introspicere desiderarunt, & quæ annunciata erant ijs, quibus Petrus scribebat.

61

*At quomodo (ait hîc Smalcus) desiderare potuit Angelus, ut Christi passionem introspiceret? nonne potius concupiscere debuit, ne illam videret?* *Utrum Angelus potuerit desiderare, ut in passionem Christi introspiceret?*  
Ita ille. Verùm non aliter loquitur adversarius de passione & morte Christi, ac de morte alterius cujusdam hominis sancti, quam videre Angelus non desiderat. Quâ quidem ratione vitam quoq; Christi potius, quàm passionem & mortem ejus, ut videret Angelus, desiderare debuit. Quia vero Christus æternus Dei filius est, ac propterea in mundum venit, ut daret animam suam pretium redemptionis pro multis Matth. 20. v. 28. & ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum &c. Hebr. 2. v. 14. & sic pati & mori debuit, desiderare etiam omninò potuit, ut in passionem ejus introspiceret: siquidem maximum mysterium est, quod ipse Dei filius tot calamitates & miseras, & ipsam deniq; mortem pro salute humani generis subierit.

Pergit adversarius: *Nativitas Christi requiritne talem inspectionem, qualem vox Græca apud Petrum denotat, nempe accuratam & singularem?*  
Respondeo: Maximè requirit, quia & hoc summum mysterium est, quòd æternus Dei filius ex Maria virgine verus & perfectus homo natus fuerit. Hoc quia novit adversarius nos statuere, ineptè hanc suam quæstionem instituit. Idem enim est, ac si ego ex Smalcio quærerem, utrum Christus Deus sit ex gratiâ? atq; illud, ut absurdum ipsi objicerem, qui tamen sciam, quòd pro æterno Deo, seu pro eo, qui sit naturâ Deus, Christum non agnoscat, sed tantùm, qui talis ex gratiâ.

Deniq; negat, quòd Petrus comprehendat conceptionem, nativitatem & passionem &c. inter ea, quæ annunciata sunt ijs, quibus scribebat. *Nec enim (inquit) de conceptione nativitate & alijs hisce similibus conciones ad populum habuisse divinos Apostolos statuendum est, sed de salute*



salute humani generis per Christum annunciata & confirmata. Hanc salutem cum multis vere divinis verbis descripsisset Apostolus, sic eam commendat, quod Veteris Testamenti Prophetæ illam scrutati sint, quod denique ipsi Angeli eam in-  
*An Apostoli introspicere desiderent.* Hactenus ille. Verum cur statuendum non est, etiam conciones habuerint de conceptione, nativitate & passione Christi? quid obstat? Si de salute humani generis per Christum annunciata & confirmata conciones habuerunt, utique etiam de persecutionibus, afflictionibus, passione & morte Christi, quia ut ipsi Photiniani docent, his salutis viam nobis annunciatam confirmavit. Et quomodo, quæso, de salute humani generis concionari potuerunt Apostoli, & non simul etiam de passione & morte Christi, cum salus humani generis sit finis seu effectus passionis & mortis Christi? Passus enim est Christus pro peccatis nostris, ut nos ad Deum adduceret 1. Petr. 3. v. 18 & per mortem filij Dei reconciliati sumus Deo Rom. 5. v. 10. & Christus per mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum Hebr. 2. v. 14. mortuus est, ut cum ipso vivamus 1. Thess. 5. v. 10. ut promissam æternam hereditatem acciperemus Hebr. 9. v. 15. Et Christus ipse ait Joh. 6. v. 51. se carnem suam dare pro mundi vita. Si itaque de fine & effectu passionis & mortis Christi conciones habuerunt, qui non etiam de ipsa passione & morte Christi tanquam causa? Quid? Annon de passione Christi concionatur Petrus Act. 2. v. 23, 10. v. 39. & Paulus Act. 17. v. 3. & hinc inde in suis Epistolis, & Petrus quoque in hac ipsa Epistola Christum passum & mortuum fuisse docet? miror itaque quomodo negare audeat Smalcianus, Apostolos non habuisse conciones de passione & morte Christi. Si dixerit, se tantum negare, quod de conceptione & morte ejus conciones habuerunt: cur ergo negat, hæc (nempe passio, mors, resurrectio & ascensio: de his enim sermo erat & non tantum de conceptione & nativitate Christi) ea esse, quæ annunciata erant ijs, quibus Petrus scribebat? cur dicit, Angelos non desiderare in passionem & mortem Christi introspicere; sed in ea, de quibus Apostolus ibi loquitur? quænam illa sunt? annon etiam de passione & morte Christi loquitur? Ita concludo: In ea introspicere desiderant Angeli, quæ annunciata fuerunt ijs, quibus Petrus scribebat, & quæ nobis administrarunt Prophetæ. Atqui etiam passio, resurrectio & ascensio Christi in cælum, & non tantum voluntas Dei



Dei de salute hominum, annunciata fuerunt ijs, quibus Petrus scri-  
 bebat, & non potuerunt non annunciari, atq; ea nobis quoq; admini-  
 strarunt Prophetæ Esai. 53. v. 5. 7. 8. Daniel. 9. v. 24. 26. Psal. 8. v. 6. 7. & 16.  
 v. 10. Psal. 22. & 47. v. 6. & c. Ergò etiam in passionem, resurrectionem *Quomodo*  
 & ascensionem Christi introspicere desiderant Angeli: non verò *Angeli in*  
 hac ratione, ut *iterum* passionem & mortem *subeat* Christus, & ex *passionem*  
 mortuis resurgat & c. quemadmodum mentem nostram hic per- *Christi in-*  
 vertit adversarius: sed quia Christi passio & resurrectio & c. *jam* *introspicere*  
*completa, tale mysterium*, cujus *inspectio*, quemadmodum etiam aliorum *desiderant*  
 Dei mysteriorum, Angelis non parit fastidium.

Præterea pijs dubium nullum esse potest, nec debet, quin  
 etiam de conceptione & nativitate Christi concionati fuerint Apo-  
 stoli, & docuerint, Jesum in utero virginis fuisse conceptum & ex  
 ea natum, juxta Prophetiam Esai. 7. v. 14. & factum seu natum ex se-  
 mine Abrahamæ & Davidis, juxta promissionem Abrahamæ & Davidi  
 factam, ut patet ex Paulo Rom. 1. v. 3. Gal. 3. v. 15. & c. Sed hæc sa-  
 tis manifesta, ut probatione non indigeant.

Verùm audiamus nunc etiam explicationem Smalcj, is parti-  
 culam hanc ita interpretatur: *Deus visus est Angelis, id est, voluntas Dei*  
*de hominum salute primò innotuit Angelis. Incognitam enim fuisse (ait) tam*  
*benignam Dei erga homines voluntatem, vel hinc constat, quòd post eam planè*  
*exhibitam reconciliata demum dicuntur esse, quæ in cælo & in terra. Unde*  
*apparet inimicitias quodammodo fuisse inter Angelos & homines ante revelatam*  
*istam gratiam. Hæ autem non fuissent, si cognitum habuissent, Deum velle*  
*ita clementer miseri humani generis.* Hæc ille. Respondeo: Licet  
 voluntatem Dei de salute & redemptione humani generis Angeli  
 plenius cognoverint, quando jam Christus in carne manifestatus fuit  
 & opus redemptionis perfecit, quemadmodum etiam Paulus dicit  
 in gentium vocatione innotuisse principatibus ac potestatibus in  
 cælis admirabilem Dei sapientiam Eph. 3. v. 10. interim tamen exi-  
 stimandum non est, quod *prorsus* illam ignoraverint, cum ipsi sem-  
 per *faciem Dei videant* Matth. 18. v. 10. neq; id etiam probat illud  
 Col. 1. v. 20. quod per Christum reconciliata dicuntur, quæ sunt in  
 cælo & in terra. Inimicitias quidem fuisse inter Angelos & ho-  
 mines propter peccatum ex illo loco concludi posse, non nego;  
 verùm quòd benignam illam Dei voluntatem de peccatis humano  
 generi



64 generi per Christum condonandis *profsus* ignoraverint, antequam  
Christus per mortem suam nos Deo reconciliaret, quomodo ex  
illis inimicitijs colligi queat, non apparet. Potuerunt enim An-  
geli *aliquo modo* cognitum habere, Deum velle ita clementer mise-  
reri humani generis, & benignâ illâ Dei voluntate perspectâ *quo-*  
*dammodo* cum hominibus in gratiam redire: postea verò *plenius &*  
*perfectius* eam cognoscere, quando jam fuit exhibita, atq; Christus  
in mundum venit, & per mortem suam nos Deo reconciliavit, ac  
societatem priorem Angelorum cum hominibus, per lapsum primo-  
rum nostrorum parentum turbatam & interruptam, re ipsa instaura-  
vit. Sunt tamen nonnulli, qui hunc locum Col. 1. v. 20. non de Ange-  
lis; sed hominibus tantum, imprimis verò credentibus, qui sunt  
in cælo & in terris, aut futuri sunt in terris, accipiunt, quod illos  
Pater per Christum sibi reconciliaverit. In textu enim habetur,  
Deum *sibi* per Christum omnia reconciliasse, tum quæ in terra, tum  
quæ in cælis. Et hanc etiam interpretationem non tam facilè eli-  
det adversarius.

Deinde de voluntate Dei de salute hominum ejusq; patefa-  
ctione in hoc loco 1. Tim. 3. v. 16. Paulus non agit, quod ipsum  
quoq; *Grauerus* monuerat, licet id *Smalcus* intelligere noluerit. Nam  
vocem *Deus*, hic idem esse quod Voluntas Dei de salute humani  
generis, & visus, quod revelatus, dicit quidem *Smalcus*; sed non  
probat: an putat nos nudis suis dictis fidem habituros? Nos lite-  
ram sequimur, eamq; tam diu urgemus, donec Tropicas suas ex-  
plicationes probet. Nam si cuivis liberum foret, à proprio ver-  
borum sensu discedere, substitutis significationibus Tropicis, quæ  
tandem in rebus fidei relinqueretur certitudo? quæ *πληροφορία*?

Sed videamus quartam particulam textus Paulini quæ hæc:  
*Prædicatus est gentibus.* Dixerat *Grauerus*, se facilè largiri Ostorodo,  
Deum Patrem prædicatum fuisse gentibus, quia filius illis absq; pa-  
tre prædicari non potuit. Hoc autem ita interpretatur *Smalcus*,  
ac si ipsis concederet, etiam hanc particulam de Deo Patre acci-  
piendam esse. Verum errat: Nam de Deo patre aliàs dici posse,  
quod prædicatus sit gentibus, id quidem se Ostorodo largiri *Gra-*  
*uerus* ait, at quem Paulus hoc in loco *verè & propriè* intelligat, satis  
clarè,



clare dicit, ipsum Apostolum indicare 1. Cor. 1. v. 23. quando inquit: **65**  
Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis ve-  
rò stultitiam, hinc etiam Christum dici lumen ad revelationem gentium *Christus præ-*  
Luc. 2. v. 32. Esai. 46. v. 13. At (inquit adversarius) firmitudo nulla *dicatus gen-*  
in eo prorsus est: quia alibi dicitur, Christum fuisse prædicatum & quidem gen- *tibus.*  
tibus, hinc consequi, eum qui prædicatur gentibus esse Christum. Sed quis ita  
simpliciter concludit? sic procedit argumentum: De quocunq;  
aliàs, & quidem tantum expresse in scriptura dicitur, quòd sit prædica-  
tus gentibus, de illo etiam absq; dubio hic Pauli locus intelligen-  
dus est, imprimis, cum in-textu nulla limitatio occurrat, per quam ulla di-  
versitatis ratio demonstrari queat. Atqui de Christo aliàs & quidem  
tantum expresse in scriptura dicitur, quòd sit prædicatus gentibus:  
Ergo. Si dixerit Smalcus, vocem Dei, quando *subjecti* locum obti-  
net, ut sit hoc in loco Pauli, semper de Deo Patre accipi: respon-  
debo, adversarium id quod in principio est petere, cum hoc ipsum  
hic sit in quaestione, utrum nempe, vox Dei, *subjecti* locum obti-  
nens, semper de Deo Patre sit accipienda, & non etiam de Christo?

Quod quintam particulam attinet, nempe, *creditus est in mundo*,  
illam non explicavit in disputatione sua Grauerus, id quod ipsi  
exprobat Smalcus; sed injustè: siquidem Graueri, institutum tan-  
tum erat, ut demonstraret, Christum ita appellari Deum in N. T. ut  
*subjecti* locum in Enunciatione obtineat, quòd ipsum ex prima parti-  
cula textus Paulini, nimirum, *Deus manifestatus est in carne*, probat.  
Quam particulam, si obtinuerit Grauerus, soli Christo competere,  
quin suo instituto satisfecerit, dubium nullum est, atq; etiam  
ultrò inde sequi, reliquas particulas non nisi de Christo accipien-  
das esse, nemo negare poterit. Aliàs non ignoramus, & hoc esse  
unum ex miris, quæ habet Christi religio, quòd in toto terrarum  
orbe, tam inter gentes, quam Judæos, habuerit Christus, qui ipsi  
fidem haberent, quiq; se illi darent. Verùm de hac particula supra  
etiam diximus.

Sequitur nunc ultima: *ἀνελύφην ἐν δόξῃ* receptus est in glo-  
ria. Hanc particulam nimis violenter Photiniani torquent ad Pa-  
trem, hoc sensu, quod Deus Pater sit non solum cognitus; sed etiam gloriosè  
seu cum gloria & solemnitate quadam & cum laude & gratiarum actione susce-  
ptus. At ubi scriptura de Deo Patre ita loquitur, quòd sit in gloria  
receptus,



66 *receptus* vel de voluntate ipsius de salute humani generis, quod sit *in gloria* vel *cum gloria receptus*? Ex scriptura interpretatio hæc non desumitur, sed in illam introducitur. Nos sequamur scripturam, illa docebit nos, quis sit ille, qui in gloria receptus, ut non opus sit, ad Metaphoram nimis remotam confugere. Usurpatur autem vox ἀνελήφθη in N. T. de ascensione Christi in cælum Marc. 16. v. 19. Dominus, postquam locutus fuisset eis, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν, Act. 1. v. 11. ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀνεληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανόν. Unde manifestum est, Christum esse illum, qui ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Ostendant Photiniani unicum tantum locum, ubi hæc vox Patri attribuitur, vel ubi scriptura de Patre ita loquatur, ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Quæ vero interpretatio ex scriptura desumitur, illam potius sequendam esse, quam quæ aliunde in illam introducitur, nemo non intelligit.

*Quomodo* Quomodo autem Christus sit ἐν δόξῃ in gloria & cum gloria *Christus in* *gloria rece-* *ptus?* *ptus?* *Christus in gloria receptus?* Quomodo autem Christus sit ἐν δόξῃ in gloria & cum gloria receptus, facile is intelliget, qui perpendet, quòd ascendit in júbilo, quòd ascendit in altum, captivam ducens captivitatem Eph. 4. v. 8. quòd exspoliata imperia ac potestates cum triumpho traduxit Col. 2. v. 15. Sed non solum hoc modo ἐν δόξῃ ἀνελήφθη, verum etiam cum laude & gratiarum actione. Discipuli namq; eum jam sursum receptum adorabant. Luc. 24. v. 52. Atq; sic particula ἐν δόξῃ, prout ab adversarijs exponitur, nobis non adversatur, sed ad nostrum propositum dextrè accommodatur.

Verùm respondet ad hæc Smalcus, inquiens: *Quid opus est de Deo Patre talem alibi locutionem extare, si ipsa vox Græca hanc significationem tanquam propriam sibi vendicat? ei potius, qui aliam inusitatam voculae isti significationem attribuit, id probandum incumberet.* Hæc ille. Sed quæ illa propria hujus græcæ vocis ἀνελήφθη signifikatio est? respondet Smalcus, ἀναλαμβάνειν propriè significare recipere; verùm quid inde? Ergò hæc particula ἀνελήφθη ἐν δόξῃ rectè de Patre explicatur, quæ consequentia? Interpretationem suam ut probet Smalcus, necessum est, quemadmodum nos nostram ex scriptura expressè probavimus. Nam ex voce ἀνελήφθη non constat, particulam hanc de Patre rectè accipi debere, sed potius de Christo, cui hæc vox alijs in scriptura expressè aliquoties tribuitur, nunquam verò Patri. Quæ vero inusitata illa signifikatio est, quam nos huic voci

ἀνε-



ἀνελήφθη tribuimus? annon de *ascensione* Christi usurpatur, & sur- 67  
sum receptus est significat etiam quando *absolute* ponitur absq; his ve-  
culis εἰς τὸν οὐρανόν Luc. 9. v. 51. & Act. 1. v. 2. & 22. ad eum usq; diem  
quo ἀνελήφθη sursum receptus est. Nodum in scirpo hic quærit  
adversarius.

Pergit: Porro dum docet Grauerus thesi 58 & 59. quomodo Christus  
cum gloria & cum laude & gratiarum actione sursum sit receptus, inanem ponit  
operam. Hoc enim nemo nescit: præstabat autem probare, verba Pauli de ista  
ascensione in cælum Christi esse accipienda. Hæc ille. Respondeo: Et pro-  
bavit etiam verba Pauli de ascensione in cælum accipienda esse,  
quando ostendit verbum ἀνελήφθη, quo hic Paulus utitur, de  
ascensione Christi in cælum in sacris literis usurpari. Unde certè  
apparet de Christo & ejus ascensione in cælum potius hæc Pauli  
verba accipi debere, quàm de Patre, vel de voluntate ipsius de sa-  
lute hominum, de quâ vox ἀνελήφθη in sacris literis nullibi usur-  
pata invenitur. Nobis scriptura patrocinator, adversarijs non  
item. Quòd autem simul etiam docet, Christum cum gloria,  
laude & gratiarum actione sursum esse receptum, in eo non ponit  
inanem operam. Nam hoc ipso ostendere voluit, particulam  
ἐν δόξῃ, prout etiam Photiniani eam explicant, suæ interpretatio-  
ni non adversari, quod fortassis ipsi obijci potuisset. Quia verò  
Smalcius ipse fatetur, illam Christo verè competere, non parum eo  
interpretatio nostra confirmatur. Deinde: quia particulam hanc  
textus Paulini explicare voluit, non partem ejus, sed totam expli-  
care debuit.

At valde infirmum illud ipsum est, ait iterum Smalcius, quo probat Chri-  
stum esse sursum receptum cum laude & gratiarum actione. Nam quod Luc. 24.  
v. 53, legitur, id nec tunc aut ibi, cum aut ubi Christus in cælum ascenderet, sed  
Hierosolymis, qua Bethaniâ reversi erant discipuli, factum est: nec ob ascensio-  
nem Christi factum esse constat. Hactenus ille. Respondeo: non tam  
ex v. 53. quàm 52. probat Grauerus, Christum cum laude & gratia-  
rum actione sursum in cælum receptum fuisse, in quo etiam versi-  
culo expressè asseritur, quòd Christum adorarint discipuli, quando  
sursum ferebatur in cælum.

Deniq; ait: Non est prætermittendum, quòd alij pleriq;, qui de ascen-  
sione



sione Christi in caelum hic sermonem esse contendunt, non legant in gloria, ut concedit Grauerus, sed in gloriam. Senserunt scilicet, vocis ἀνεληφθη non esse eam significationem per se, sursum receptus est, itaq; eam illi voci affingere voluerunt ut verborum, in gloriam. Hæ enim mosum ad locum significare videntur. Hoc verò quia falsum esse tacite confitetur Grauerus. Vox enim græca ἐν nunquam fortassis pro eis accipitur, vel saltem rarissime: at ἐν pro Δεῖ vel μὲ accipi frequentissimum est. Hactenus Smalcus. Respondeo: Falsum est, vocis ἀνεληφθη non esse etiam eam significationem per se, sursum receptus est: contrarium jam probavimus ex Luc. 9. v. 51. Act. 1. v. 2. & 22. Unde etiam nec hanc ob causam particulam ἐν δόξῃ quidam vertunt in gloriam; sed quia Christus in caelum receptus, revera in gloriam assumptus fuit. Ad Patris enim dextram confedit, subjectis ipsi Angelis & potestatibus ac virtutibus 1. Petr. 3. v. 22. Neq; etiam vox ἐν pro Δεῖ vel μὲ tantum accipitur, sed & interdum pro eis ut 1. Thess. 1. v. 8. ἐν παντι τόῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἐξεληλυθεν, in omnem locum fides vestra exijt, & Hebr. 4. v. 11. ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ πρὸς ὑποδείγματι πίσει τῆς ἀπειθείας: ne quis in idem incredulitatis exemplum incidat. Quòd autem Grauerus particulam ἐν δόξῃ in gloria vertit, in eo, illis, qui in gloriam vertunt, non contradicit; sed tantum ostendit, illam hoc quoq; modo acceptam, nostræ sententiæ non adversari. Nihil itaq; absurditatis est in nostra interpretatione, quamvis id demonstrare valdè laborat adversarius.

Sed nunc *textus coherentiam* obijcit, contendens, hanc particulam de ascensione Christi accipi non posse, propterea, quòd prædicationem fidei inter gentes non subsequuta est; sed præcessit. Paulus autem hanc particulam, post prædicationem fidei inter gentes factam recenset. Verùm ratio hæc admodum elumbis: ὑπερολογία in sacris usitatam esse supra monuimus: Marc. 14. v. 23. & 24. alteram cænæ Dominicæ partem Evangelista hoc ordine describit: accepto poculo, cum gratias egisset, dedit eis: & biberunt ex eo omnes. Et dixit eis, hoc est sanguis meus N. T. qui pro multis effunditur. Si quis hic rigidè & morosè ordinem contextus urgere voluerit, is contendet, discipulos prius bibisse, antequam illos Christus bibere jufferit, vel saltem significarit, quòd bibere debuerint, quòd falsum esse apparet ex alijs

Evan

ὑπερολογία in sacris literis usitata.



Evangelistis Matth. 26. v. 27. 28. Luc. 22. v. 20. ὑστερολογία aperta. 69  
Quis ignorat Paulum Rom. 13. v. 9. in enumeratione præceptorum  
legis Moralis sextum præponere quinto? an propterea Moses non  
rectè præceptum, Non occides, præposuit præcepto sexto? Absit.  
Alia exempla occurrunt plura. Ratio itaq; adversarij nulla. Hæc  
ita *Grauerus*.

Sed quid ad illa respondet *Smalcus*? 1. *concedit*, ὑστερολογία  
interdum dari, id quod nos ambabus manibus accipimus, atq; inde  
concludimus, rationem adversarij nullius esse momenti. 2. *negat*  
exempla allata, vera ὑστερολογίας exempla esse. *Nam* (inquit) *locus*  
*ex Marco allatus non docet aliquid fuisse quo ad ordinem immutatum in prima*  
*cæna Dominicæ celebratione. Tam enim in Marco legitur, quòd primum pa-*  
*nem ederint, & deinde de calice biberint, ut in Matth: & Luca: differentia au-*  
*tem in eo est (si modo aliqua est) quòd in Marco omissa sint Christi verba, qui-*  
*bis de calice bibere iussit, antequam illi biberent, quod ab ὑστερολογία longè dif-*  
*ferre, puto jam constare.* Hactenus ille. Sed quid impulit *Smalcium*,  
ut *Graueri* verba & mentem ita perverteret? Ubi *Grauerus* dicit, in  
Marco doceri, prius Apostolos bibisse, deinde panem edisse? Hoc  
vult, ut verba ipsius satis clarè innuunt, quòd Marcus prius Aposto-  
los de calice bibisse scribat, ac deinde doceat, quibus verbis Chri-  
stus significarit, quid bibere Apostoli debuerint, cum tamen, ut  
constat ex reliquis Evangelistis, prius Christus Apostolos bibere  
iussit, atq; etiam significarit, quid bibere debuerint, & postea de-  
mum Apostoli omnes biberint. ὑστερολογία itaq; in Marco satis ma-  
nifesta: quemadmodum etiam in loco Rom. 13. ubi Paulus sextum  
præceptum præponit quinto, cum tamen in Lege, non sine causâ, ut  
hic *Smalcus* ait, quintum præceptum sexto præponatur. Quando au-  
tem id, quod priori loco ponendum erat, posteriori collocatur,  
ὑστερολογία committitur.

Quòd præceptum de non occidendo, quintum esse statuimus,  
in eo *Smalcus* nos *erroris* accusat, & *percinacia*, quòd *errorem* illum *po-*  
*tius defendere, quàm agnoscere & corrigere velimus.* Verum, nos hac in  
parte errare, nondum demonstravit *Smalcus*, nec quisquam ante  
eum: imò *Calvinus* ipsemet divisionem præceptorum Decalogi  
ejus generis rem esse dicit, in qua *liberum* cuiq; iudicium esse debeat,







*ἡ ἰδὴ αἷμα*, id est. Attendite igitur animum vobis ipsis & 71  
toti gregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos,  
ad pascendam Ecclesiam Dei, quam suo proprio sanguine acqui-  
sivit. Hic Christus absolutè & quidem loco subjecti in Enuncia-  
tione Deus appellatur: quapropter ex hypothese ab ipsis adver-  
sarijs concessa, Christum æternum Deum esse concludimus.

Verum excipiunt Photiniani, hunc locum non de Christo; *Exceptio ad-*  
sed de Deo Patre accipiendum esse, *cujus* (ut ex Socino hic ait *versariorum.*  
Smalcus) *dicitur is esse sanguis, quem Christus effudit eâ figura sermonis, &*  
*ob eam causam, propter quam dicitur apud Prophetam, eum, qui tangit Dei po-*  
*pulum, ipsius Dei pupillam tangere. Quo sensu etiam ea verba apud eundem*  
*Prophetam, Videbant in quem transfixerunt, de Deo Patre dicta, ad Christum* *Deus Pater,*  
*lanceâ in cruce transfixum accommodatur, quod etiam Iohannes Tosarius Aquino* *quomodo*  
*lovicanus in paraphrasi sua super hunc locum eleganter docuit. Summa enim* *proprium*  
*& perfectissima alioqui inter Deum Patrem & Christum conjunctio, etiamsi* *sanguinem*  
*utriusq; essentia necessariò sit diversa, efficit, ut Christi sanguis, ipsius Dei Patris* *habeat juxta*  
*sanguis, appellari queat, præsertim cum, ut pro nobis fusus fuit, consideratur. Est* *Photinia-*  
*enim Christus Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, & consequenter sanguis* *nos ?*  
*hujus agni, in hunc finem effusus, ipsius Dei sanguis meritò dici potest: non quasi*  
*ipse Deus hunc sanguinem in se ipso habuerit, sed quia illum singulari ratione,*  
*sicut & Agnum ipsum possederit, atq; ut rem suam, una cum ipso agno pro nostris*  
*peccatis expiandis dederit. Et hunc esse posse horum sensum, magnus etiam ille*  
*Erasmus vidit. Quibus nunc illud addo, quod alibi etiam Spiritus & corpora* *1. Cor. 6. v. 20.*  
*fideliùm dicuntur esse Dei, inter quos tamen & Deum nullo modo tanta est con-*  
*junctio, quanta est inter Christum & Deum Patrem. Hactenus Smal-*  
*cus.*

Respondeo i. ut modum illum loquendi, (quo nimirum  
principalior & superior pars per certum respectum ea ad se trans- *Confutatio.*  
fert, quæ inferiori parti accidunt) non solum Zach. 2. v. 8. sed  
etiam in compluribus alijs scripturæ locis, nempe Matth. 25. v. 35. 40.  
Act. 9. v. 4. Col. 1. v. 24. & c. (non autem Zach. 12. v. 14.) concedo,  
ita à præsentem loco alienum esse dico, propterea, quòd *ἡ ἰδὴ αἷμα*  
*εἰς τοὺς* enunciationis Paulinæ hanc interpretationem non admit-  
tit. Non enim per nudam *ἡ ἰδὴ αἷμα* hic Deo sanguis attribuitur, sed  
proprius sanguis: *ἡ ἰδὴ αἷμα* proprio sanguine Eccle-  
siana



fiam sibi acquisivit. Nullibi autem in sacra scriptura Deo Patri proprius sanguis assignatur, multò minus alibi dicitur, quòd Deus Pater proprio sanguine redemerit Ecclesiam: Monstrent adversarij, si poterunt, unicum locum & hunc præsentem ita accipiendum esse, concedemus. Quando verò Christus dicitur Agnus Dei, alia est ratio. Christus enim agnus Dei Metaphoricus, quia sacrificium est, pro peccatis mundi Deo oblatum: at non Metaphorico sed proprio suo sanguine Deus Ecclesiam suam acquisivit. Et facilè etiam quivis intelligit, aliam hìc notari personā, nec propterea sanguis agni proprius Dei sanguis dici poterit, imprimis cum aliàs nullibi in sacris Deo Patri sanguis assignetur: multò minus dicitur, quòd Deus agno redemerit Ecclesiam. Sic apud Paulum 1. Cor. 6. v. 20. lego, quòd corpus nostrum & spiritus noster, Dei sint, quia nimirum Deus ea creavit & dedit, & Christus ea Deo redemit Apocalyp. 5. v. 9. at quòd *corpus Dei proprium & Spiritus Dei proprius* dicantur, non invenio: nihil itaq; ad rem. 2. Quoties scriptura istum loquendi modum, quo ea, quæ vel inferiori parti accidunt, per respectum quendam in superiorem redundant, vel quæ eveniunt uni amico ob certam conjunctionem in alterum redundant, toties id ex circumstantijs textus vel similium ac cognatorum locorum colligi potest: hic autem prorsus nullum apparet vestigium.

*Exceptio  
alia.*

Excipit adversarius. I. *Vocem Græcam ἰδιόθεν latinè idem sæpè significare quod suus, & sic nullam majorem esse vim in vocabulo proprius, quam sit in vocabulo suus.* Respondeo: Vox proprij sacris in literis, non habet vim aliam, quàm significandi *aliquid omninò suum*, hoc est, quale nemo alius habeat: ut in loco 1. Cor. 15. v. 38. Et unicuiq; seminum proprium corpus, vel *simpliciter suum*, seu *suum ipsius*, id est, non alienum: ut cum Paulus eadem epistola, 6 v. 18. scribit, eum, qui scor-

*Confutatio.*

tatur, in *ἰδιόθεν* corpus peccare. Hæc Adamus Goslavus à Bebelno part. 1. c. 5. p. 62. quæ hìc applicemus. Quòd *priorem* significationem attinet, illa locum habere nequit. Non enim peculiaris hic Deo sanguis tribuitur, qualem nemo alius habet, sed humanus. Christus namq; homo, & humano sanguine redemit Ecclesiam suam: Ergò *posterior* locum habebit, nempe, quod non alieno vel imputativo, sed suo ipsius sanguine Deus redemerit Ecclesiam suam, ut ita sanguis, quo Ecclesia Dei redempta, ipsius Dei sanguis sit,



fit, quemadmodum corpus huius hominis suum ipsius corpus est. 73  
Cuicunq; autem *ita* attribuitur ἰδὸν αἷμα, illi etiam *verè & realiter*  
sanguis tribuitur. Absurdum verò est, dicere, Deo Patri *verè & rea-*  
*liter* convenire sanguinem.

Deinde ait: *Non extare in sacra scriptura talem locutionem non tanti*  
*momenti est, aut esse debet, ut propterea sensus à nobis monstratus repudiari de-*  
*beat. Non enim omnium locutionum dari instantias, tum ipsa docet ratio,*  
*tum etiam philosophi doctissimi comprobant. Satis autem est, modos loquendi*  
*similes extare, quibus hic excusari possit: & analogiam universæ religionis non*  
*contradicere ei sensui, qui ex eo elicitur.* Hæc ille. Respondeo: Imò  
maximi momenti est. Unde enim aliàs constabit, rectè Deo Patri  
*proprium* sanguinem attribui posse, vel dici, quòd *proprio* sanguine  
Ecclesiam suam redemerit? Similes enim loquendi modi in scri-  
ptura non extant: nam quos proferunt Photiniani, illorum dispar-  
ratio est, ut paulò ante vidimus. Nec analogia universæ religio-  
nis admittit, ut Deo Patri *proprium* sanguinem attribuamus. Nam  
si vel maximè passio Christi & sanguinis effusio, eo respectu in Pa-  
trem redundet, quo ignominia, quæ Christus afficitur, in Patrem re-  
dundat, inde tamen non sequitur, quòd ipse sanguis Christi sit pro-  
pterea *proprius* Dei Patris sanguis dicendus: quemadmodum non  
sequitur: qui sanguinem sanctorum effundunt, Deum ipsum læ-  
dunt: Ergò sanctorum sanguis Dei sanguis, & quidem *proprius* est.  
Deinde: si propter summam illam conjunctionem, quæ est  
inter Deum Patrem & Christum, sanguis Christi, sanguis Dei Pa-  
tris & quidem *proprius*, dici potest: simul etiam propter eandem  
conjunctionem rectè de Deo Patre dici poterit, quòd sit conce-  
ptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, crucifixus, mortuus,  
sepultus, & quòd ex mortuis resurrexerit. Hæc omnia, quàm sint  
absurda, nemo non videt. Absurdum igitur etiam erit, dicere,  
de Deo Patre, quòd *proprio* sanguine redemerit Ecclesiam. Animad-  
vertit quoq; hoc ipsum Smalcus, ideoq; dicere non audet, Deum  
Patrem nos redemisse sanguine suo. Sic enim inquit in Exam. 157.  
reliquorum error. quos Smigl. col. p. 17. *Nec unquam ita loquimur*  
*(nempe Deum Patrem nos redemisse sanguine suo) sed dicimus, per modum lo-*  
*quendi figuratum quidem, sed S. literis non inusitatum dici posse, Patrem ac-*  
*quisivisse Ecclesiam per suum sanguinem.* Hæc ille. Verùm cogitur  
K Smalcus

Analogia  
religionis nõ  
admittit, ut  
Deo Patri  
proprius  
sanguis at-  
tribuatur.



Smalcus ita loqui, si de Patre locus Act. 20. v. 28. intelligi debeat. Sic enim habent verba Pauli: Deus *proprio* sanguine sibi acquisivit Ecclesiam suam. Hæc ita interpretatur, Deus, id est, Pater *proprio* sanguine acquisivit suam Ecclesiam. Si vero ita loqui non vult *Smalcus*, cur ergo Paulum ita loqui, fingit?

*Ostorodus* in disput. Germ. Tradel. opposita pag. 244. hanc figuram prorsus negligens, Deo Patri sanguinem attribui posse negat, propterea, quod Deus nec sanguinem habeat, nec sanguinem fundere possit. Verba *Ostorodi* hæc sunt: *Falsum est, Christi sanguinem nobis nihil profuisse, nisi Christus unicus ille Deus esset, siquidem sufficit, ut prodesse nobis queat, si à Deo sit in hoc ordinatus, ut nobis prosit, quemadmodum certum est, quod Christus ex Dei mandato & ordinatione suum sanguinem effuderit: imò si (Christus) Deus ipse fuisset, quomodo nobis prodesse potuisset, quod sanguinem attinet, cum Deus sanguinem nec habeat, nec effundere possit.* Hæc ille.

Sed *Ostorodum* excusare hic conatur *Smalcus*, inquiens: *Dum Ostorodus ait, Deum Patrem nec sanguinem habere nec effundere potuisse, non negat, sanguinem Christi, sanguinem Dei certo modo appellari potuisse; sed Deum sanguinem non habere credit, nempe in se ipso.* Ita ille. Verum hac ratione nihil prorsus ad argumentum *Tradelij* dicit *Ostorodus*. Nemo enim est, nec *Tradelius*, nec quisquam Christianorum, qui dicat credatve, Deum *in se ipso* habere sanguinem. Deus enim Spiritus Joh. 4. v. 14. Spiritus verò carnem & ossa non habet (& sic neq; sanguinem) Luc. 24. v. 39. Ut autem æternus Dei filius pro nobis sanguinem effundere posset, idcirco humanam naturam integram ex Maria virgine cum omnibus suis proprietatibus & infirmitatibus, excepto peccato, in unitatem suæ personæ, sine confusione aut conversione, assumpsit, & sibi propriam fecit: ita ut una persona Christi sit duarum naturarum, divinæ scilicet & humanæ, & propterea verus Deus & homo verus, humanas & divinas proprietates habens, divina & humana opera, salvo exinanitionis statu, personaliter efficiens.

Et propter hanc arctissimam & personalem unionem duarum in Christo naturarum fit, ut verè dicatur, Deum proprio suo sanguine redemisse Ecclesiam suam: atq; ex hoc fundamento *Tradelius* Deum seu Dei filium, proprium sanguinem habere asserit, id quod



75  
id quod optimè novit Ostorodus. Vel itaq; ineptè ad argumen-  
tum *Tradely* respondet, ut qui non statuit, Deum *in se ipso*; sed pro-  
pter naturam humanam in unitatem suæ personæ assumptam, & sibi  
propriam factam, proprium habere sanguinem, vel necessum est,  
ut *simpliciter & absolute* neget, Deum sanguinem habere & effundere  
posse: & sic sibi & alijs Photinianis contradicit. Quia verò illis,  
qui in disputando sibi contradicunt, dici solet: Mendacem oportere  
esse memorem: ideo etiam *Grauerus* proverbio hoc usus hic  
fuit; non autem, ut animum expleret, quemadmodum id interpre-  
tatur adversarius.

Porro dixerat quoq; Grauerus in ratione Ostorodi Elenchum  
causæ committi, si nimirum figura illa in loco Act. 20. v. 28. mili-  
tare deberet. Sed quid ad hoc *Smalcus*? *Primò dicit Elenchum causæ  
inter Elenchos Aristotelis non numerari, sed Elenchum non causæ, ut causæ. 2. ne-  
gat eum, qui sic nominatur, hic commissum esse.* Respondeo: Qui ab Ari-  
stotele Elenchus non causæ, ut causæ nominatur, illum hic Graue-  
rus intelligit, eumq; Elenchum causæ simpliciter appellat, quem-  
admodum etiam quam plurimi eum appellare consueverunt. Com-  
mittitur autem Elenchus ille 1. cum falsitas conclusionis imputatur  
alicui præmissarum, quæ tamen non est causa falsitatis aut Elenchi,  
qua ratione tantum fit in syllogismis ad impossibile Aristot. lib. 1.  
Elench. c. 4. 2. fit etiam in syllogismis ostensivis, cum id, quod  
est simile causæ, ponitur pro vera causa. Sic Demades Demosthe-  
nis administrationem publicam omnium malorum causam fuisse  
dixit, quia postea bellum accidit. Hic administratio publica De-  
mosthenis belli causa fingitur, & tamen vera causa non est. In hoc  
autem exemplo, fallaciam non causæ ut causæ committi, docet  
Aristoteles lib. 2. Rhet. c. 24. Ita quoq; rectè dici potest, in ratio-  
ne Ostorodi Elenchum non causæ ut causæ commissum esse, si nem-  
pe figura illa in loco Act. 20. v. 28. militare debeat. Ex eo enim,  
quod Christum Deum esse asserimus, concludit, ipsum nobis, quo  
ad sanguinis effusionem, prodesse non potuisse, cum Deus nec san-  
guinem habeat, nec effundere possit. At quòd Christus Deus est,  
causa esse non potest, quòd sanguinem effundere & hac ratione  
nobis prodesse nequeat: aliàs de Deo Patre etiam dici non posset,  
ipsum proprio sanguine Ecclesiam suam redemisse, quod tamen vo-  
lunt



lunt Photiniani, dum verba Act. 20. v. 28. de Patre interpretantur. Apparens itaq; causa, tanquam vera hic ab Ostorodo assumitur, & sic Elenchus non causæ committitur.

Deniq; ad illud, quod dixerat *Grauerus*, ex circumstantijs *textus* vel similium ac cognatorum locorum constare, quoties scriptura istum loquendi modum usurpat, quo ea, quæ inferiori accidunt, per respectum aliquem in superiorem redundant: in loco verò Act. 20. v. 28. nullum apparere vestigium, respondet *Smalcus* his verbis: *Duo sunt, quæ hîc desiderari possunt. 1. est, quod Grauerus, quales in alijs hujusmodi loquendi modis circumstantiæ appareant, non expresserit. Facile enim apparuisset, tales vel similes in loco hoc Act. 20. etiam dari. 2. est, quod etiamsi non appareant tales in hoc loco circumstantiæ, vel similes loci, non tamen inde sequatur, sensum loci eum non esse, quem adferimus. Possunt enim aliæ esse causæ, cur sensus ille verus sit, præter textus circumstantias & locos similes, ut ante ostendimus.* Hæc ille. Respondeo: Ex *textus* circumstantijs constare, ait *Grauerus*, quoties istum loquendi modum scriptura usurpat: illas vero omnes hîc exprimere, quid opus erat? inspiciat adversarius loca allegata, & deprehendet, in loco Act. 20. tales circumstantias, quales ibi occurrunt, non tantum non apparere; sed ne similes quidem, imò prorsus nullum vestigium. Deinde: scire aucto ex *Smalcio*, si neq; ex circumstantiâ *textus*, nec ex similibus locis colligi queat, unde ergo habeat, verum & genuinum hujus loci sensum esse illum, quem ipse adfert? & quænam illæ causæ sint? supra analogiæ religionis meminit: at illa ipsi adversatur, ut ibidem vidimus. Et si maximè sensus ille, quem ex hoc loco eliciunt adversarij, quando de Patre interpretantur, non pugnet per se cum religionis analogiâ, non tamen sequeretur, eum verum, proprium & genuinum hujus loci sensum esse, nisi constaret, phrasin & contextum hujus loci ei non repugnare. Quando enim *interpretatio* alicujus loci cum *phrasî* & *contextu* non *convenit*, non *interpretatio*; sed potius in alienum sensum *detorsio* est. Jam verò nec *phrasîs*, nec *contextus*, sensum, quem huic loco Photiniani attribuunt, admittit, ut hæctenus ostendimus. Verus itaq; & genui-

*Confirmatio* nus esse non potest. Quia igitur locus hic de Patre intelligi ne-  
*nostra inter-* quit, rectè de Christo accipitur. Quotiescunq; enim scriptura N. T. nos  
*pretationis.* sanguine redemptos esse docet, toties de Christo loquitur, nec ullum contra-  
rium



rium locum adversarij ostendere poterunt. Hinc Hebr. 9. v. 12. con-  
 simili phrasi de Christo dicitur, quod ( Christus ) per *proprium san-*  
*guinem* ingressus sit semel in sacrarium, æternam redemptionem ade-  
 ptus Apocal. 5. v. 9. redemisti nos Deo per *sanguinem* tuum. Simi-  
 liter Eph. 1. v. 7. 1. Petr. 1. v. 19. Apocalyp. 1. v. 6. legimus Christum  
 nos *sanguine suo* lavare à peccatis. Ad hæc, Christus est ille, qui  
 sibi Ecclesiam suo *sanguine ac morte sua* acquisivit. Sic enim Paulus  
 2. Corinth. 5. v. 15. inquit: Christus pro omnibus mortuus, ut qui  
 vivunt posthac non sibi vivant, sed eis, qui pro ipsis mortuus est &  
 suscitatus. Ex his sic colligo: *Is procul dubio nomine Deus in loco Act.*  
*20. v. 23. intelligitur, cui aliàs in sacris literis expresse tribuitur prædicatum,*  
 hoc est, qui proprio sanguine ingressus in sacrarium æternam re-  
 demptionem adeptus, nos, seu Ecclesiam sibi acquisivit; *non autem*  
*is, cui prædicatum illud aliàs nullibi tribuitur. Atqui Christus est ille, & non*  
*Deus Pater,* ut jam ostensum. Ergo &c.

Sed hinc rursus excipit *Smalcus*, Locos istos, in quibus propriè  
 dicitur Christum per suum sanguinem nos redemisse, lavisse à pec-  
 catis & populum suum acquisivisse, non posse efficere, quo minus  
 possit dici alibi impropiè, Deum per sanguinem nos acquisivisse.  
*Quid enim ( ait ) impedit, quo minus id, quod alibi dicitur propriè, semel dica-*  
*tur impropiè, præsertim si res ipsa & loci circumstantiæ facile unumquemq, do-*  
*cere possint, non posse aliter verba intelligi, ut hinc fieri videmus. Vocabulum*  
*enim Dei, subjecti locum hic tenet.* Hæc Smalcus. Respondeo: Hoc  
 in loco non impropiè, sed propriissimè sanguis Deo tribuitur:  
 proprio sanguine redemit Ecclesiam suam, ait Apostolus: At im-  
 piè & *ὀρθόδοξως* dicitur, Deum impropiè, proprio sanguine re-  
 demisse Ecclesiam suam. Etenim quàm verè & propriè sanguine ac-  
 quisita est Ecclesia, tam verè & propriè hinc Deo sanguis tribuitur.  
 Atqui non impropiè, sed verissimè & propriissimè sanguine Eccle-  
 sia acquisita est. Ergo &c. Deinde crasse id quod est in princi-  
 pio petit adversarius: siquidem hoc ipsum in quæstione est, utrum  
 vox *Dei*, subjecti locum in Enunciatione obtinens, *soli Patri* attri-  
 buatur & non etiam Christo. Adversarius non aliter nobiscum  
 agit, ac si hoc esset extra controversiam.

Instat adversarius: omninò *posse impropiè vel semel id Patri attri-*  
*bui, quod aliàs Christo propriè attribuitur. Quemadmodum redemptio nostra*  
*tribui-*

*Exceptio  
adversæ*

*Confutatio*

K 3





78 tribuitur plerumq; Christo & tamen nonnunquam etiam ipsi Deo Patri, ut Luc. 1. 6. 8. 2. Petr. 2. 1. Respondeo: Quando Luc. 1. 68. dicitur (locus Petri de Christo, non de Patre loquitur) quod Deus fecerit redemptionem plebi suæ, non *impropriè*; sed *propriè* redemptionem nostram Deo Patri tribuitur, quatenus nimirum, ut *prima causa* nostræ redemptionis consideratur, quâ ratione quoq; toti Trinitati rectè tribuitur; ut autem redemptionem nostram ad *certam personam* terminatur, soli Christo competit. Ipse enim *solus* est, qui pro nobis *passus & mortuus*, ac *sanguine proprio* Ecclesiam sibi acquisivit. Quare etiam *semper & ubiq;* in scriptura N. T. *soli* Christo ascribitur, quod *sanguine* nos redemerit, *nunquam* Patri. Hinc & argumentum nostrum contra adversarios rectè concludit, *de eo* locum Act. 20. v. 28. intelligendum esse, *cui* redemptionem nostram *per sanguinem* in scriptura tribuitur. At *soli* Christo & non Patri tribuitur. E.

Ad *Erasmii* consensum nihil aliud dicimus, quàm quod ipse *Smalcicus* in Respons. ad script. Ravensp. cui tit. par unum sophism. pag. 18. Amicus Erasmus, sed magis amica veritas.

Deniq; urgent adversarij lectionem Syriacam, quæ loco *Dei* habet *Christi*: unde (ait hic *Smalcicus*) colligi jure potest, aliquam ab initio exemplarium differentiam fuisse, & vel hanc vocem, vel aliam ei similem extitisse, in quibusdam saltem exemplaribus, quod etiam *Beza* confirmat, dum ait, in quinque exemplaribus legi *Domini & Dei*. Quod si admittatur, jam nemo non videt, de *Domino*, qui est *Jesus Christus*, propriè id dictum esse, de *Deo* vero *impropriè*, ut etiam alibi legimus, *Iohannem* precari gratiam & pacem à *Deo* propriè, & à *septem spiritibus* *impropriè*. Hæc ille. Respondeo: Primum extra dubium est, vetustissimos & omnium consensione receptissimos codices tantum habere vocem *Dei*, quibus nec *Syriaca* versio, quæ authentica non est, nec aliæ privatorum codicum lectiones, præjudicare quicquam possunt: Ideoq; etiam non opus, ut multum de illis laboremus. Deinde: etiam si admittantur, non tamen sequitur id, quod vult *Smalcicus*. Utraq; enim vox & *Dominus* & *Deus*, *simul* rectè Christo attribui potest. Ipse namq; verè *Dominus* & *Deus* noster est, quemadmodum etiam *Thomas* Joh. 20. v. 28. ipsum *Dominum & Deum* suum appellat. Et certè nulla ratione fieri potest, ut prædicatum hoc in loco simul propriè Christo, & *impropriè* Deo Patri attribuarur: non enim *simpliciter* dicitur, quod



quòd sanguine redemerit Ecclesiam, sed *proprio* sanguine. Neq; ex  
Apocal. constat Johannem gratiam & pacem precari à septem spi- 79  
ritibus *impropriè*. Per septem enim spiritus ipse Spiritus Sanctus  
intelligi potest, tanquam dator & auctor omnium Spiritualium  
donorum in credentibus, à quo verè & propriè gratiam & pacem  
precari licet per modum religiosæ invocationis; non verò ab An-  
gelis, ne quidem *impropriè*. Septem autem spiritus dicuntur, non  
quòd dona Spiritus S. præcisè septem sint, sed quòd varia & multi-  
plicia. Numerus enim septenarius in scriptura multipliciter  
denotat, ut, septies cadit justus Prov. 24. v. 15. septies in die lauda-  
vi te Psal. 119. v. 164. Concludo igitur, locum Act. 20. v. 28. non  
de Patre, sed de Christo intelligendum esse. Atque sic adhuc salva  
& inconcussa stat sententia nostra. Sanctifica nos, ô Deus, in ve-  
ritate tua: sermo tuus veritas est. Joh. 17. v. 17. Amen.

### Errata quædam benevolus lector sic corrigat.

Pag. 7. lin. 3. quæ solùm l. ult. traduci p. 8. l. 17. Ecclesia p. 11. l. 29. ulsi-  
mum p. 12. l. 27. subsistentiæ l. 28. iudicent l. 32. fuerunt l. 35. sigillat p. 13. l. 28.  
nullum p. 16. l. 26. requiritur p. 17. l. 1. authenticam l. 34. homines, qui p. 18.  
l. 34. quod p. 21. l. 35. appellatur p. 26. l. 21. manifestatus p. 27. l. 24. sit p. 32.  
l. 19. quod l. 25. verti p. 36. l. 29. sit p. 37. l. 11. acciderunt l. 23. posuisse p. 40.  
l. 29. κενρινώνηκε p. 41. l. 31. eum p. 43. l. 2. Davidis p. 44. l. ult. Abrahami  
hoc enim &c. p. 45. l. 6. κενρινώνηκε p. 46. l. 9. αὐτῶν p. 48. l. 5. actio. p. 55.  
l. 5. quod p. 56. l. 14. propius p. 58. l. 3. Quod l. 15. sapientia p. 65. l. 20. del. com-  
ma l. 25. satisfecerit p. 68. l. 26. præcessit, Paulus &c. p. 71. l. 12. Videbunt p. 72.  
l. 30. Quod.





















Farbkarte #13

B.I.G.



EN  
TIONIS  
SMALCII  
Racoviensis

niani,

RTI GRAVERI  
& Incarnatione  
suit,

LEGDÆO.  
eol. Licent.



T 162 (7)

H I  
ANI, Acad. Typ.  
vordeano.

M. DC. XXI.

